Auser D. Honoratus Fabi

PVLVIS PERVVIANVS VINDICATVS DE VENTILATORE

Eiuſdemque

SVSCEPTA DEFENSIO

A B

ANTIMO CONYGIO

Hortatu

GERMANI POLECONII

ROMAE, Typis Heredum Corbelletti, M. DC. LV.

Superiorum permiſſu.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sac. Palat. Apost.

M. Anania Episc. Sutrinus, & Nepesinus Vicesg.

Imprimatur,

Fr. Dominicus Manettus Reuerendiss. P. Mag. Sac. Apost. Pal. Socius, Ordinis Prædicatorum.

GERMANO POLECONIO

Antimus Conygius P.S.D.

QVOD dudum poſtulaſti, tandem accipe, Germane ſuauiſſime; Iam olim accepiſses, ſi libelli copia mihi facta fuiſſet: ſucceſiuis aliquot horis, paucas paginas exaraui, ne majus patella operculum eſset: immo breuior eſse poteram, & paucioribus rem conficere, niſi vltimam illam diſsertationem Phyſicam ſubnectendam eſse duxiſsem: in ea multa paucis & curſim complexus ſum; alioquin tota fere Phyſica huc traducenda fuiſset; ſed vt ſpero; periti rem intelligent; de imperitis parum ſollicitus; quamquam hæc longè faciliùs intelligi poſsunt, quàm virtutes illæ occultæ, electricæ, magneticæ, motrices, & expultrices; quàm illæ anti-

pathiæ, ſympathiæ, antiperiſtaſes, aliaque id genus illuſtria nomina; quæ nihil niſi nominis & vocis habent. cœterum hæc eo animo ſcripſi, quo tu ipſe, vt ea ſcriberem, ſuaſiſti; hoc eſt ſyncero, & rotundo; nullo ſanè ductus contradicendi ſtudio, quo nonnulli quaſi petulci & infruniti arietes ita ducuntur; vt cum ſolis ad mordendum dentibus, ſolis ad feriendum cornibus nati eſse videantur; ſicubi eſt vlcus, importuna muſca ſtatim aduolat; immo ſicubi doctæ ſcriptionis Roſa, fœda Cantharis illico inuolat: alia profectò ſum indole; tu me noſti; duo tantùm in hac lucubratiuncula mihi propoſui; primum eſt, vt tibi morem gererem; quid enim amico tam juſta, immo tam pauca poſtulanti denegare poſse me? alterum eſt, vt innocentiſſimom pulueerem ab inuſta nota vindicarem; nempe e re generis humani eſse putaui, id vnum ſaltem eniti, ne tam certum & tam probatum remedium, per affictam calumniam proſcriberetur. Vale

SY-

SYNOPSIS CAPITVM.

LECTORI

SI nihil aliud, vnam saltem breuitatem, & sinceram fidem in hoc opusculo laudabis (amice Lector) rescindo libenter superflua, inutilia reijcio, & vix tandem admitto necessaria: ornamentis, quæ in rem hanc non cadunt, opus non fuit; sed mera & nuda rei discussio adhibita, quę tamen, ni fallor, iusta dumtaxat exigenti faciet satis: porro nullo ducor contradicendi studio, sed veritatis & virtutis amore teneor, quam vt prosequi alacriter, ita & acriter tueri iam dudum apud me statui: accessere humanissimi, & amicissimi hominis Germani Poleconij vota, quibus sanè, pro ea qua sum indole, facere non potui, quin morem illico gererem: sed quod spem meam omnem & desideria superauit, accessit auctoritas Eminentissimi Cardinalis de Lugo, necnon Excellentissimi Fonsecæ Pontificiorum Archiatrorum principis: quales viros, Deus immortalis, in suo quemque genere ac ordine summa profectò laude dignissimos: Primus Theologo-

rum

rum huius temporis facilè Princeps sacrã purpuram suis meritis & virtutibus ornauit; Alter artis suæ peritissimus, quàm illa vtilis humano corpori esset, in supremo Ecclesię capite probauit: itaque tam alti nominis viri non modò mihi auctores fuere, vt hoc opusculum in publicam lucem ederem; verùm etiam illud approbationis suę calculo donarunt; in gratiam scilicet veritatis, & singularis erga hominum genus beneficentiæ: vterque apprimè nouit huius Pulueris vim, cuius maximum cumulum Eminentissimus Cardinalis pia iuxta atque liberali manu, in magnam eorum multitudinem erogauit; qui propter angustias rei domesticę, tam salubre remedium sibi comparare nõ poterant: schedarum fasces a Medicis subscriptarum apud se habet, in quibus nostri Pulueris vsus præscribitur, qui secundo ac prospero euentu nunquam caruisse visus est. Clarissimus verò Archiater non paucos a se curatos fuisse attestatur, indicta eiusdem Pulueris sumptione, cuius ille vim atque indolem diligenter indagauit, & comperit, saluberrimum esse remedium, atque adeò

 tutum

tutum & securum, non creperum & dubium, non vehemens & stipticum, sed innocens & innoxium; ac proinde, in quod afficta a Ventilatore calumniȩ minimè quadrant.

Hȩc sunt (ingenue Lector) de quibus te monendum esse putaui, vt tam illustris auctoritas his vindicijs aliquid momenti & roboris afferat: cȩterum si hȩc opella nostra tibi fortè non arrideat, ne quaso, insontem Puluerem accusa; sed dic sodes, nam per me licet, optimam causam a dissimili Patrono malè defensam fuisse. Vale.

CAPVT PRIMVM

Scriptionis causa.

INAVDIERAM, paucis ab hinc mensibus, de quodam libro, à Nobili Medico Belga; contra Puluerem Peruuianum, quo frigidæ febres curari solent, in lucem edito, quem licèt tunc temporis euoluere in votis esset, illius tamen copia mihi facta non est: jam fere mente exciderat huius libri cogitatio, cum ecce casu nescio quo, nudius tertius in meas manus venit, non liber, sed libellus, duorum circiter foliorum vt vocant, majusculis etiam characteribus & Typis.

Lustraui statim oculis libelli frontem, & hunc Titulum legi, *Puluis febrifugus Orbis Americani, Iussu Serenissimi Principis Leopoldi Guillelmi, Archiducis Austriæ, Belgij ac Burgundiæ* Proregis, *Ventilatus, ratione, experientia, auctoritate, a Ioanne Iacobo Chifletio Equite Regio, Archiatrorum comite & Archiducali Medico* Primario, *anno* 1653. Locus editionis desideratur: hæsi tantulùm atto-

attonitus ad magna, & illustria nomina; Serenissimum Principem singulari vereor cultu; Clarissimus Auctor, vt facie quidem ignotus, ita celebri nomine, & grandi eruditionis fama mihi notus est; Ventilatum tamen difflatumque puluerem, toti hominum generi salutarem indolui, & tantum non ingemui: cum id præsertim ratione, auctoritate, nec non experientia confectum esse Legerem: hæc enim tria sunt Capita; quibus causa omnis deciditur, omne iudicium definitur; & verò parum absuit, quin deposito libello ab expetita priùs lectione abstinerem, in ipsa libri fronte & opusculi titulo deterritus.

Quia tamen Viro mei amantissimo respõsionem, ac Pulueris apologiam pollicitus eram, timui, ne importunus instaret, ac promissa reposceret: Itaque vt pactis starem, primum illum impetum sustinui, totumque Libellum, non raptim, vt fieri solet, sed diligenter, tractim licèt, perlegi, quæ sanè lectio non modò me à scribendo non deterruit, sed nouos ignes atque animos ad suscipiendam hanc prouinciam injecit. Igitur vt ille breuiter scripsit, ita ego breuiter Respondeo.

CA-

CAPVT SECVNDVM

Libelli Iudicium.

QVISQVE suo genio pollet, & sensu gaudet: erunt fortè qui tantam rerum,ac verborum amœnitatem & luxuriem in dissertatione Physica minùs probent: nempè hic auctor totus lepidus & comptus, totus eruditus & elegans est, innumeris ornatus sententiis, versibus idemtidem distinctus, frequenti micat acumine multiplici horret aculeo; hìc non medici modo, sed sed etiam Philosophi, Philologi, Historici, Poetæ suum locum habent, & totas paginas implent: Ego verò aliam ineo viam; hìc enim non de re quapiam literaria, de lectione ad pompam, de prolusione academica, sed de re Physica discutienda;dicam ampliùs de singulari & incõperto hactenus remedio, de multorum hominum salute agitur: quis enim nescit, quartanam certo & indubitato remedio huc vsque caruisse;sed ad rẽ venio.

Aduersarius rem confectam a se testatur, idque in prima libri fronte, Puluerem scilicet Americanũ ventilatũ,atque difflatum,auctoritate,experiẽtia & ratione; auctoritas in ea scriptione ptimum ac potissimum locum obtinet; Sed quorsum istuc, non video; citat

Hip-

Hippocratem, Galenum, Celsum, Plinium, Auicennam, aliosque bene multos, quorum ne vnus quidem de nostro Puluere mentionem fecit.

Egregiè, quotquot appellat, de re medica scripserunt, sed de Puluere nihil; quid ergo illi ad nos? quid ad rem? quid ad Puluerem, de quo ne cogitarunt quidem, ne dum scripserunt: itaque primum illud argumentum ab auctoritate petitum nihil negotij facessit; optimum quidem est, sed quem impugnat? insignis est auctoritas, sed quò spectat? telum est potentissimum; sed quem ferit?

Hinc gemina dumtaxat restant impugnationis capita, experientia scilicet & ratio; vltimum leuiter tractat, & vix habeo, quod reponam, cum ille vix aliquid opponat; experientia verò a nostris partibus stabit, vt infra euincam: igitur ex his tribus capitibus primum superfluum est, aliud falsum, tertium nullum; nempe illa auctoritas superflua est, quæ ad rem, de qua agitur, non pertinet; experientia illi non fauet; falsum enim est, præfatum Puluerem nemini salutem attulisse; denique nullum esse ostendam argumentum, quo salubertimum istud remedium impugnari putat.

CA-

CAPVT TERTIVM

Experientia Pulueri non aduersatur.

QVOD scribit Auctor, Quartanarios, qui sumpto Puluere, conualuerant, omnes ad vnum relapsos esse, de suis Bruxellensibus, opinor, intelligit; nec enim de alijs omnibus rescire potuit: sed vellem ingenuè scripsisset., vtrùm omnes, assumpto iterum Puluere, iterum relapsi sint; vtrum aliqui omnino conualuerint; vt perspecta & luculenta esset experientia, hoc alterum meo iudicio scribendum erat.

Equidem assumpto primùm Puluere, nonnullos vbique gentium relapsos esse, inficias non eo; quod sanè ex varia & multiplici causa procedere potuit, nam nonnullis corpus non dum probè expurgatum erat, aut iis medicamentis, quæ cum hoc puluere minùs consentiunt; manna aliaque huiusmodi dulcia, & glutinosa minùs consentire visa sunt, secus verò sena, Polypodium, &c. aut quod sæpe fit, abacta febre, intemperantiùs ægri gesserunt se, in victu, motu, animi corporisque agitatione, diligentiore sui cura neglecta; aut demum præparationis modus

dus alius esse debuit, vt omnis recidiuæ periculum arceretur.

Sed esto; vltro etiam demus, huius Pulueris indolem talem esse, vt iterum ac tertiò ad curandam omnino valetudinem glutiendus sit; quid inde amabo concludes? an forte ideò proscribendum remedium, quod iterandum est, vt plenam perfectamque conciliet sanitatem? si hoc iudicio standum sit, de omnibus omnino remediis actum esse videtur; an forte scissio venæ, sumptio Pharmaci, Clysteris vsus, aliaque huiusmodi vetanda sunt, quod sæpe ac sæpius adhibenda sint, vt ægri pristinæ sanitati restituantur?

Puluis noster ægro exhibitus ab obstinata illum febre quasi temporis momento liberat, quod vltro fatetur aduersarius, & per totos triginta dies febris expertem relinquit; & hoc pro nihilo duces? relabitur inquies; tanti est, ægrum vno vel altero die febre correptum iacere; sed proximè recurrente paroxismo, porrige Puluerem, & omnino conualescet: sed inquies, post alios triginta dies recidiua febris iterum aderit; pauci reuerà fuere, qui post iteratam sumptionem perfectam valetudinem non obtinuerint, vt testes omni exceptione majores fidem faciunt; sed esto, altera & vltima recidiua immineat; geminus dumtaxat paroxismus superandus restat; tertiò exhibe

Puluerem, vt firma deinde ac longa ſanitas conſequatur.

Igitur expoſitis ab Illuſtri Auctore experientiis Puluis noſter minimè ventilatur: ſed Nobilis Florentinus literis Roma datis ad Amicum in Belgio quartana laborantem, Pulueris vſum diſſuadet, nec enim febrem expellit, inquit, illumque Romani Medici experientia edocti flocci faciunt, affirmantque, poſt menſes aliquot aut ſeptimanas, vel febrem recurrere, vel aliud majus malum, oriri, quod ægros in vitæ diſcrimen conijciat.

Sed quodnam malum inde ortum ſit, quod vel vnum aliquem, in tanta laborantium multitudine, in vitæ diſcrimem conjecerit, ſcire aueo: Hic Romæ aliquot hominum millia elapſo proximè anno Puluerem illum adhibuerunt, vnus ſaltem inter tot appellendus erat, quem Pulueris ſumptio in vitæ diſcrimen adduxiſſet: ſat ſcio, pleroſque Medicos nunquam iis remediis vti, quæ ſibi probè comperta & perſpecta non ſunt, quod eximiæ prudentiæ eſt; non tamen ea perniciosa eſſe, ſtatim pronunciant, niſi ſaltem aliquando ægris aliquam perniciem attulerint; igitur quod plerique Medici huiuſce Pulueris vſum non adhibeant, facilè crediderim, cum de illo nihil apud Auctores ſuos legerint; quod aliqui eumdem vituperent,

& vt

& vt perniciosum traducant, vix adduci posſum, vt credam; quamquam ea eſt hominum ad maledicendum procliuitas, vt fortè non mirũ ſit, aliquem eſſe, qui paulò acriùs in Puluerem noſtrum inuectus ſit; quo verò fine, reticeſco.

Sed nonnullos appellare poſſem, qui Pulueris vſum ægris ſuis non modò permittunt verùm etiam præſcribunt; vnus ad inſtar omnium erit clariſſimus D. Fonſeca, Archiater Pontificius, quem honoris cauſa nomino, qui Pulueris huius naturam & indolem, hortatu Eminentiſſimi Cardinalis de Lugo, diligentiſſimè indagauit, & propriis experimentis edoctus, non modò illum innoxium, ſed etiam ſaluberrimum eſſe pronunciauit.

Quod verò ſpectat ad literas Madrito, Florentia, Neapoli, Vienna, Lutetia Pariſiorum datas, quibus huius Pulueris virtus eleuatur, & latens, inquit, virus detegitur; idem prorſus repono; quaſi verò vlla vſpiam veritas tam ſancta ſit, quæ ſuos vbique gentium non habeat Impugnatores: ſed hoc loco non agitur de paucorum ſententia, ſed de multorum experientia: non quæro, quid ſentias, ſed quid mali & detrimenti ex hoc Puluere ortum eſſe ſcias.

Vt dicam quod res eſt, non parum timui viſa huius libri fronte, cum enim ad experientiæ forum hanc cauſam adducam eſſe

viderem, expectabam illico Hydropes, Cachexias, Icteros, aliasque id genus pestes, ex iniquo Puluere in genus humanum deriuatas, sed salua res est, & omnia tuta; innoxius Puluis accusatur quidem, trahitur in ius, experientia producitur, testis haud dubiè, in hoc causarum genere, omni exceptione major, sed huius testimonio Puluis innocens declaratur & absoluitur: expecta parumper, dum nostra, & si necesse sit, etiam iurata experimenta adducamus.

CAPVT QVARTVM

Aduersarij rationes difflantur.

VNICVM dumtaxat aduersùs Puluerem telum aduersatius vibrat, idque cap. 2. & 6. nam alia aliorsum spectant; dicit autem Puluerem Peruuianum colore croceũ seu veriùs cinnamomeum, sapore amarissimum & subausterum, ac proinde valentissimum & calidissimum esse: igitur & parum securum; nam vehementissima remedia timenda; quod austerus sit, non sentio; quod amarus, assentior; amarissimum tamen esse, pernego: fuligo enim & alia quædam amariora sunt.

Quod ex colore illo ferrugineo, calidum

esse deducat, nimiùm sanè colori credit; vt quædam frigidissima, candida; quid quæso niue frigidius? de lacte, nihil est quod dicam; ita & quædam calidissima; quid enim flamma calidius? de sale, calce, nihil dico; quod omnis fere ligni cortex, qui vbi probè siccus est, castaneum illum, seu querceum colorem præfert, inde calidus censendus sit, nemini certè persuadebit; sub omnis fere coloris specie, qualibet qualitas aut virtus latet.

Quod aliqua amara, calida sint, do vltro; quod omnia, dare non possum; cichorium & colocynthis amara sunt, quæ plantas inter frigidas recensentur; sed quæso te, quid vspiam amarius gustasti mucore piri, eiusdem fere coloris; quem tamen calidum esse non dices: immo hic Puluis frigidus potiùs quã calidus dicendus esset, cum febrilem æstum magnopere temperet; subtilius, inquies, febris alimentum absumit, ad populum phaleras; ignis igni accedens, majus incendium facit; sed vino aliquando febris depulsa est, sic venenum aliquando antidotum fuit, & mucro adactus in viscera, latens vlcus fœliciter aperuit, & nuntius vitę non mortis fuit; quæ casu aliquo fiunt, vt certam causam non habent, sed aliquam circunstantiarum conjugationem ita rarò contingunt; nec arte regi, nec scientia definiri possunt.

Adde

Adde quod, vt me propria docuit experientia, ineunte paroxiſmo, ſumpto Puluere non modò de febrili horrore nihil remittitur, verùm etiam ille vehementiùs ſæuit; quod certè noui frigoris, ſeu frigidi acceſſione fieri dumtaxat poſſe videtur: immo ſi merum nullo Puluere medicatū æger hauriat, febrile frigus majori ſaltem ex parte, mitigatur, quamquam æſtus magis accenditur: Igitur vini caliditas huius Pulueris aſperſione temperatur, & quaſi frigida diluitur; ex his autem omnibus, Puluerem frigidum potiùs quàm calidum eſſe concluderes.

Quod autem ait, valentiſſimum eſſe, omnibus experimentis aduerſatur; lentè ac ſenſim ſine ſenſu, eius virtus ſeſe exerit, hinc vinum vires addit, & tardum excitat: hinc altero poſt ſumptionem die, vt plurimùm, immo & tertio ſuos effectus ſortitur, purgationis ſcilicet & ſolutionis per aluum, ſudores, vrinas, & ſecretorum effluuiorum ſpiramenta; ſed de his paulò poſt aquam: Igitur medicamentum illud valentiſſimum eſſe non poteſt, quod tardè ac lentè operatur, nec vllam fere vim naturæ infert.

Quonam verò pacto febrem abigat, illud certè ſummæ illius caliditati tribuendum non eſt, vi cuius febrile frigus ſuperat, vt vult aduerſarius, ac æſtum diſſipat, dum eius te-

nuius alimentum absumit; crede mihi, non ita res se habet; & de febre aliter sentiendum est: Ego sanè Medicus non sum, aliquid tamen in rebus Physicis me scire non diffiteor; quid verò sentiam, infra breuiter dicturus sum; hæc sunt rationum capita, quibus Auctor innoxium Puluerem ventilare conatus est; quæ vtrùm à me ventilata & difflata fuerint, docti & prudentis Lectoris iudicio relinquo.

CAPVT QVINTVM

Nonnulla quæ contra Puluerem affert toto cap. 5. breuiter refelluntur.

VNVM dumtaxat est, inquit, Pulueris Peruuiani commodum, quod scilicet majora relinquat febris interualla; sed majus inde sequitur incommodum, nam causa morbi adhuc ex parte remanet: quasi verò morbum ad tempus cessare, quadraginta aut quinquaginta dierum inducias concedi, & partem causæ morbi discuti, majus incommodum censendum sit, quam & morbi vim sæuire, illiusque integram & intactam causam restare: Ignis inquit ad tempus extingui;

tinguitur, ac rursum accenditur: benè est; interim saltem non æstuo, & paulò liberaliùs respirandi potestas fit; nec deinceps adeò feruet æstus; pars enim Pabuli febrilisque materiæ subacta est: sed hæc mittamus, quæ leuia sunt, nempe his fortè salibus & iocis, quamquam armatis aculeo, suos frigoriticos, sic vocat frigida febre laborantes, recreare voluit; transit ad magis seria, & Puluerem hunc Europeis nullatenus necessarium esse, contendit. Primò probat; quia quartanam per se alioqui securam, citra remedia, natiuo calore aucto, ac vegetiore, solui, non raro contingit: vt dictis faciat fidem, multa exempla congerit: sed quid inde; igitur inquies, Puluis Peruuianus necessarius non est: idem sanè de quolibet alio remedio, ex præmissis principiis concluderem: igitur nec quartana, nec tertiana laborantibus medicus opus est; quid ad hæc? si omnes mecum tuas conditiones acceptarent, an fortè putas, reliquos Medicos in tuam sententiam discessuros.

Quod dicis, quartanam adeò securam esse, omni ex parte non concedam; aliter enim sentio; nam sæpe in hydropem, sæpe in cachexiam degenerat, præterea, de duplici, aut triplici quartana idem non dices; quæ sanè non leue periculum creare solent; nonnullos recensere possem, qui non ita pridem

hoc morbi genere extincti sunt: denique, quod bona tua venia dixerim, non te miseret laborantis ægri, per tot menses, annosque aliquando miserè decumbentis; an fortè quia mortis periculum abest, omni ope, omni remedio priuandus; nollem ædepol tam austerum, & immisericordem Medicum; quid autem de his Pharmacopolæ sentiant; tibi cogitandum relinquo: Exempla quæ congessisti non discutio, quia scilicet ad rem nostram non faciunt.

Secundò. Probat, Puluerem nostrum Europeis necessarium, id est vtilem, vel adhibendum non esse, quia inquit, priusquam afferretur, aderant alia specifica remedia, paratu facilia, eaque certa, modò ritè administrentur, qualia ipse fusè recenset, Theriacam scilicet Galeni, Myrrham Matthioli, Castoreum Sennerti, Gentianam Augenij, Calendulam Migaldi, Cratonis Clinopodium; sed quid rei? omnia medicamenta paulò ante reijciebas, quod quartanam securam esse diceres, Iam verò tot & tam varia præscribis; certa vocas; an fortè jurare paratus? nemini sanè, saltem sano persuadebis; nam ægros nimium sanitatis desiderium credulos facit.

Certissima sunt, inquies; vtinam probabilia, vir clarissime; nam vel hoc nomine, totum genus hominum tibi obstrictum haberes,

beres: fabulam, opinor, non ignoras, hoc genus Dæmoniorum difficulter eiicitur, hoc genus morbi Aesculapium vestrum non adoṫat, nec illius imperio colla submittit; secura sunt inquies, id est, innoxia, do vltrò; Iusculum etiam securum est, at certa quoque dummodò vergente iam ægritudine, substantia viscerum principalium integra & robusta, concocto humore morbifico, & ritè euacuato, ad excutiendas febrilis materiæ reliquias opportunè præbeantur.

Sed quando hæc erunt? egregia certè remedia, quæ iam vergentem supponunt ægritudinem, rarò scilicet post semestrem integrum, & vt plurimum post decem & ampliùs menses, neque id sufficit, substantia viscerum integra & robusta, id est in pristinum statum restituta; concocto præterea humore morbifico; si humor ille morbificus concoctus est, morbus ampliùs non est, quippe omnis materia morbifica cruda, sed adhuc, ritè euacuato, quid aliud morbi superat? quid alias vereris reliquias, quid noua accersis remedia?

Sed interim, patitur iustus, & malè inde concludis, Puluerem Peruuianum Europeis necessarium, id est vtilem non esse: Ego verò contrarium potiùs concluderē, & in hunc modum ratiocinarer: febris quartana longissima, & molestissima est, & si duplex aut

triplex ſit, periculoſa; igitur ſi quod eſt remedium, quod facilè parari poſſit, & ægro securè porrigi, haud dubiè vſurpandum eſt; quis hoc vſpiam neget? atqui inter adhibita hactenus, ad fugandam quartanam remedia, licèt nonnulla caſu aliquo Proſperum euentum habuerint, nullum tamen certum ac indubitatum inuentum eſt; Puluis autem Peruuianus rectè paratus, & opportunè adhibitus, quartanam excutit, idque citra periculum, licèt vna, vel ad ſummum altera recidiua intercedat, igitur nemo eſt, qui meritò neget, adhibendum eſſe.

CAPVT SEXTVM

Aſperſæ Pulueri eumque diſpenſantibus calumniæ diluuntur.

Capite VI. rotundè aſſerit, Præfati Pulueris vſum tutum ac ſecurum non eſſe; quod vt probet, multa loca congerit ex Hippocrate, Celſo, Galeno, Auicenna, Villanouano, Platero, Sennerto, in quibus tamen ne verbum quidem de hoc puluere lego; ſed de recidiuis duntaxat morbis, ex iis, quæ relinquuntur, procedentibus; febris enim reuertitur, quæ ſine ratione, nulliſque bonis ſignis ſolutionis apparentibus ſubitò ceſſat.

Sed

Sed quæso te, quid inde concludis? nec enim Puluis noster sine ratione, sine solutione, sine bonis signis, febrem abigit: recidiua nonnunquam succedit, annuo; sed longè mitior, & cui facilè occurri possit; morbi causam non aufert, contrarium assero; nam post iteratam sumptionem, æger pristinæ sanitati restituitur: igitur alia quidem remedia reijcienda sunt, quæ periculosa excipit recidiua; nec iterum sine periculo adhiberi possunt, fateor vltro, & adducta auctorum loca liquidò euincunt; at si quando leuis recidiua aliquod remedium excipit, quæ iterato medicamento facilè curari queat, nemo erit, opinor, qui dicat, eiusmodi remedium proscribendum esse: ostendere debuerat vir clarissimus, loca illa laudatorum supra auctorum, in puluerem nostrum aptè qvadrare, vt tutum ac securum non esse ostenderet; quod quia non præstitit, hæc locorum sylua inutilis esse videtur.

Sed ni fallor, majusculi characteres, quibus idemtidem loca illa distincta sunt, aliquid significant, vel saltem indicant; quid porro illud sit, diuinare non possum: Sennertus nonnulla febrifuga medicamenta reprobat, quæ febris paroxismos citra sudorem vel aliam quampiam solutionem ad tempus abigunt, quod scilicet præcipitatione quadam, vim illam efferuescendi & paroxismum

exci-

excitandi contineant; hinc cachexiæ, hydropes, icteri, dolores colici; sed quid ad puluerem? qui & sudores & vrinas prouocat, & aluum soluit; meminit auctor copiosi sudoris superuenientis Serenissimo Principi.

Platerus contra Empiricos agit, quid ad nos? supponit causam morbi permanere; nos illam tollimus: Villanouanus narcoticas medicinas damnat, easque frigidas; tu nostrum puluerem calidum & igneum censes; nihil autem prorsus narcotici habet, & vix caput attingit; Item stipticas & constringentes meatus, & humorem ingrossantes, sic purè loquitur, fraudulentas denique, vnde febris malignior euadit, hinc mentis alienatio, maniaca, si ad cerebrum materia moueatur, mortifera cardiaca, si ad cor, hydropisis, si ad iecur, hæc ille; sed nihil horum puluis vnquam præstitit, qui sanè bono & christiano animo, non verò per fraudem exhibetur: Igitur Arnaldi Tela alium hostem petunt: Auicenna & Arculanus explodunt aquam vitæ, piper, sulphur, calefacientia & exsiccantia cum fortitudine, ita loquitur, nihil horum pulueri, ne per somnium quidem meritò affingi potest; quid enim illi est cum pipere, & sulphure? Sed inquit, Puluis febrem fugat eo fere modo, quo empirica agere solent; hæc reuera vel minimo experimento probandum essent: Arsit tota no-

&c

cte Sereniſſimo Ventriculus, ſcilicet per æſtũ febris: at poſtera die, circa veſperam, febris eumdem Sereniſſimum inuaſit; quid tum; erat enim quartana duplex, cuius ingruentem paroxiſmum puluis mitigare non potuit; ſed deinceps febris ceſſauit, licet recidiua futura eſſet: pergit auctor ibidem, ſuo calore inquit Igneo, ſiccare, accendere ac torrere imbecilla poteſt præcordia, natiuum calorem diſſipare, vitæ pabulum depopulari humores noxios ad partes infirmas propellere; ea verò ſtipticitate qua pollet, poteſt bilem flauam & nigram, necnon pituitam ſalſam cogere, condenſare &c. quibus poſtmodum putreſcentibus, liquefactis, & effuſis quoquo verſum, impactiſque in partes adjacentes, exitiales morbi ſupra memorati pullulare poſſunt, hæc ille:

SineTeſte nihil tale admitto; quiſquis accuſatoris partes agit, Teſtes producere debet: jam oſtendi ſupra Puluerem noſtrum, nec nimia caliditate, nec ſtipticitate pollere, nec inde ſiccari, torreriue præcordia, nec humores illos excrementitios colligi, denſari &c. poteſt inquit; nego poſſe, ſi enim poſſet, cum ſit agens neceſſarium, actus haud dubiè cum potentia coniunctus eſſet: itaque ſecurnm & tutum eſt remedium, non creperum & periculoſum, quod nemini vnquam nocuit; immo certum, quod omnes iterata,

faltem

ſaltem ſumptione, a pertinaciſſima febre liberauit.

Neque hoc temerè iactatum fuit, nec ſordidæ puluerem Romæ diſtrahentium auaritiæ tribui debuit; parciùs iſta viris; multum profectò Chriſtianæ charitati, in huius pulueris diſpenſatione, nihil prorſus auaritiæ datum eſt: non ſunt, crede mihi, qui hunc puluerem adminiſtrant, fraudulenti inceſſores, nec doloſi imperitique experimentatores, ab huiuſmodi laudibus àbſtinere poterat & debuerat; majores illi characteres meliùs collocandi erãt, viri boni & optimi ſunt, ita me Deus amet, Chriſtianis virtutibus præditi, qui nec cuiquam imponere, nec de quopiam detrahere, ſed omnes omnino iuuare percupiunt: quod autem laboranti cacochymia ventriculo, lumbis arena, vel ſtupa obſtructis, cruciato colo, corpuſculo denique vitiato & malè affecto puluis noſter ſolatio, vel ſubſidio eſſe non poſſit, naturam accuſa, quæ tot & tantis virtutibus inſtructum eſſe noluit; nos illum dumtaxat adhibemus, ad fugandas frigidas febres, hoc eſt illas, quæ cum frigore ægros corripiunt.

CA-

CAPVT SEPTIMVM

Mirifici huius Pulueris effectus.

EA fuit Romani cœli inclementia anno proximè elapso 1653. vt aliquot hominũ millia diuersis morborũ generibus cõflictata fuerint; maligna febre multi extincti sunt, lõgè verò plures quartana simplici, aut duplici correpti fuere, qui fere omnes nostrũ puluerem adhibuerunt (tunc enim primùm innotuerãt) non sine prospero euentu: supra centenos appellare possem, quibus salutaris fuit; quamquam de paucis rescire potui, inter quos nonnulli Cardinales Eminentissimi, Excellentissimi Principes, Præsules Illustrissimi, multique præterea, religiosæ vitæ homines numerantur.

Charitas Eminentissimi Cardinalis de Lugo in eo præsertim enituit, quod pauperculis & religiosis viris magnam vim huius pulueris, quam propriis sumptibus Romam aduehi curauit, liberaliter distribuerit, de Medici tamen consilio, cuius schedulam videre voluit, antequàm puluerem dispensaret; plus mille huiusmodi schedulas asseruat, totidem scilicet exhibiti pulueris testimonia, cum sperato, ac læto successu: credibile est, opi-

nor

nor, sapientissimum Cardinalem hoc egisse, consultis prius doctissimis, & prudentissimis Medicis; clarissimum Fonsecam jam supra nominaui, qui suo puluerem calculo donauit: & verò Religiosissimus Princeps huius medicamenti dispensationem Religioni duxisset, si tam dubium, tam creperum, & periculosum esset.

Ego inter cæteros, quinto Idus Sextiles in simplicem quartanam lapsus sum; paroxismi diuturni erant, viginti circiter horarum; extremus horror, quod mirum cuiquam accidet, feruente Leone, & Syrio agros vrente; transactis quatuor paroxismis, vis morbo accessit, & quartana simplex in duplicem abiit; hæc me prostratum lectulo affixit, fractis omnino viribus, aluo præter modum constricta, & quod molestissimum erat, atrocissimis doloribus colicis cum paroxismo, præsertim dum flagraret æstus, ad torquendum me conspirantibus.

Elapsis ab ortu morbi quadraginta circiter diebus, cum jam aliquid maturitatis humori febrili accessisse crederetur, mihi corpus bis purgatum est, sena, polypodio, cassia &c. talibus egestis, qualia morbi ratio postulabat; bis scissa vena, sanguis corruptissimus effluxit, non sine stupore Medici; nam alioqui vegeto sum corpore, indole sanguinea, quamuis paulò acriore &c. his peractis

nihil

nihil prorſus de rigore ſuo febris remiſit; immo dum ferueret paroxiſmi; deliria emergebāt, quod amicorum amiciſſimo nonnihil metus incuſſit; ſub finem Septembris cū reliqua non juuarent, expurgato iterum corpore, pridie ſcilicet eius diei, quo febris recurrebat, Puluis mihi porrectus eſt: Siracuſano vino eoque generoſiſſimo & frigido maceratus; ſub initium paroxiſmi, vt fieri ſolet, potionem hauſi, rigor febris ſolito major ſæuiit, æſtus verò paulò remiſſior, cruciatus colici mitiores, delirium abfuit; poſtridie paroxiſmum expectabam, ſed minimè acceſſit, nec etiam altero poſt die; dolores colici ſoluti; vno verbo diſcuſſa febris, & priſtina ſanitas reſtituta; modum diligenter obſeruatum ingenuè aperio.

Pridie illius diei, quo puluerem ſumpſi, hauſi alterum Pharmacum, cuius ſupra memini, vt corpus probè purgatum eſſet; & licèt vix per horam ventriculus retinuerit, ſuo tamen non caruit effectu; hinc corpus rectè paratum & aptum, in quo puluis ſuam vim omnem exereret; poſt 35. circiter horas a ſumptione pulueris, oon ſine medioeri corporis agitatione, aluus ſoluta eſt; deiectio mulriplex fuit, egeſtæ verò materiæ non magna copia; hæc autem ferruginei coloris, tenax & glutinoſa, cum tamen ipſo purgationis proximæ die, liquida eſſet; igitur vt

vides

vides, non sine ratione ac bonis signis; febris cessauit.

Vix autem duo de viginti dies fluxerant, cum rediuiua febris me corripit; illa paulò mitior erat; dolores colici æque acerbi, postero die, alter paroxismus accessit, vt fert duplicis quartanæ ratio; die verò sequenti, qua liber a febre fui, senæ diluto, admixto cremore tartari, in jusculo vitulino purgaui corpus, nec enim potentiore medicamento opus esse visum est, cum toto illo induciarum interuallo, mollior alaus extitisset; hinc puluerem nostrum minimè stipticum esse deduco, quod tamen aduersarius illi affinxit: altero post die, ineunte paroxismo, iterum puluerem sumpsi, eodem quo priùs modo, nec dispari euentu; diuersa tamen solutionis ratio fuit, nam præter vrinæ copiosæ fluxum, magna quoque sudoris copia toto corpore manauit, non sine molesto quodam pruritu, ex quo humoris acrimoniam & quamdam capillaribus illis meatibus a cruda materia illatam vim esse deducebam.

Per sesquimensem, liber a febre fui, viresque receptæ; sed dum vix saluam malè curo valetudinem, & nimia corporis agitatione corpus fatigo, & ad literarum studia, quibus mirificè delector, animum applico, captata etiam non rarò vespertina aura, vno verbo, dum pro sano me gererem, æger iterũ

fio,

ſio, febriſque reuiuiſcit, non iam vt ante quartana duplex, ſed triplex, longè tamen mitior, breuiores paroxiſmi, nullus rigor, modicum frigus; vnum tamen mihi negotium faceſsebat; colici dolores quieuerant, ſed eorum loco, ſicca tuſſis, imminente paroxiſmo, non mediocriter me torquebat, iiſdemque cùm febre ibat redibatque periodis; nempe acris illâ materiâ, quæ ante inteſtina inuaſerat, tunc pulmonem vellicabat.

Hìc triumphantem aduerſarium & tantùm non inſultantem videre mihi videor; ſed ne triumphus, ante victoriam; Bruma ſæuiebat, tempus ſanè eiuſmodi febribus curandis parùm opportunum; alia remedia non iuuabant; puluis nonnullis ſuſpectus eſſe videbatur; quid facerem miſer; jam fere menſis excurrerat, cùm ſena iterùm corpus purgaui, ac denuo puluerem, ſed alio modo paratum glutiui; dilutum ſcilicet, rejecta fæce; huius conſilii rationem cap. ſeq. exponam; ſimilis prorſus euentus fuit, ſed quia leuiore tantùm digito dilutum expreſſeram, doſis iuſta minor fuit; hinc ex triplici quartana, ſimplex euaſit; quia tamen hoc præuideram, nouum dilutum parari curaueram, quod ſcilicet quarto poſt die, nouo paroxiſmo, eoque leuiſſimo accedente, ſumpſi, in ipſo fere brumali ſolſtitio, quo febris pe-

nitus extincta est; dilutum pulueris in Siracusano albo, citra vllam exterioris caloris operam paratum fuit, & per quadraginta circiter horas puluis maceratus est; modus solutionis per aluum fuit cum maxima & fere incredibili vi sputi, idque prima vice; altera verò partim per vrinas, partim per secreta effluuia, citra sudorem quidem, non tamen sine sensu spirantis per poros acrioris effluuij; per aliquot dies, lotium vbertim fluxit; lentus semper & tardus, vt vides effectus fuit: ex his verò quid deduci possit, sequenti cap. exponam.

CAPVT OCTAVVM

Peruuiani pulueris Anacrysis Physica.

ARTIS Medicæ imperitum me esse vltro fateor, licèt de Physicis aliquid delibasse inficiari non possim; hæc dissertatio tota fere Physica est, & totam penè Physicam desideraret, vt pro dignitate discuteretur; cum tamen neque per temporis angustias liceat, nec instituti ratio postulet, illa dumtaxat hoc loco supponam, quæ aliàs a me vberiùs demonstrata fuere; suppono

pono igitur perennem sanguinis ex arteriis in venas & ex venis viciſſim in arterias fluxum & circuitum, quem qui neget deinceps non erit, niſi perſpicuæ veritati contradicat.

Suppono deinde purgantia medicamenta nulla prorſus vi motrice aut magnetica pollere, ſed ſolutam medicamento vitioſam materiam, quæ ſanguini ineſt, idque ſingularis cuiuſpiam humoris exuperantia, laxatis meatibus, eodem arteriarum motu, qui à corde ortum ducit, necnon fibrarum niſu, extrudi per aluum, vrinas, ſudores, vomitus, ſecreta effluuia &c. admoue quæſo guttulam bilis ingenti Rhabarbari maſſæ, ne latum quidem vnguem mouebit: ſoluitur autem morbificus humor a corpuſculis medicamẽti ad id munus aptis natis: ſic acetum multa ſoluit & liquat, nonnulla mercurius, aquæ ſtygiæ, quas fortes vocant, duriſſima corpora ſoluunt, vt æs, ferrum, &c. nec ciborum ſolutio, liquatio, digeſtio vt vocant alio modo fieri poteſt; nec enim ſolus ventriculi calor, qui modicus eſt, oſſa mollire ac liquefacere valeret.

Præterea ſuppono, febres frigidas atque intermittentes, vt vocant, ex materia quadam morbifica, cruda, dura, craſſa, ortum ducere; quod certè, qui neget, neminem eſſe facilè crediderim; ſi craſſior eſt, facit quar-

tanam; si tenuis, quotidianam, quam Plinius Amphimerinam vocat, si mediocriter crassa, tertianam, hinc quartanam in atra bile, tertianam in flaua, quotidianam in pituita tanquam in propria sede auctores passim collocant; hæc autem morbifica materia vocetur humor febrilis, cuius tardiores circuitus majora faciunt internalla, quibus interceptis paroxismi distinguntur, hinc febrilis humor quartanæ, qui crassior est, tardiùs suum circuitum absoluit, quod enim crassius est, per capillares meatus difficilè traducitur, contra verò quotidianæ longè citius, tertianæ demum medium inter vtrumque tempetamentum obtinet, hinc fortè prædicta interualla sunt vt humorum crassitudines.

Quartana verò duplex duplicem diuersis distinctum sedibus febrilem humorem habet: hinc non raró accidit, vt diuiso humore, simplex in duplicem abeat, sed breuioribus paroxismis: licèt enim in iisdem meatibus, duo illa infestarum particularum, ex quibus humor febrilis constat, quasi agmina, vel examina currant, quia tamen sejuncta sunt, & alterum capillares tenet, dum aliud in majoribus truncis adhuc versatur, quid mirum, si paroxismos duplicent: quomodò verò paroxismus fiat, facile dictu est, frigus enim procedit ex eo quod obstructis capillarium arteriarum venarumque meati-

bus

bus a febrili humore, nempe quod crassum, durum & crudum est, exiguos illos meatus statim obstruit, sanguis arteriosus ex arteriis in venas traduci nequeat, sanguinis enim cursus talis est, vt a trunco arteriarum versùs extremos earumdem ramusculos pellatur, contra verò ab extremis venarum ramis versùs principem truncum, quod plus mille experimentis comprobatum est, nec ab vllo qui pertinax non sit, negari potest.

Igitur cum sanguis arteriosus, qui natiui caloris vehiculum est, in venas deriuari non possit, quid mirum si vehemens inde frigus consequatur, nempe sanguis ex caloris absentia, frigus statim concipit, vt suppono; hinc rigor & tremor, qui varius est, pro varia materia, hinc flagrant interiora præcordia, dum exteriùs frigus sentitur, nempe sanguis arteriosus hoc carcere contentus magnam vim caloris concipit, quem totum in se colligit; hinc arteriæ turgenr, venæ deprimuntur, hinc cor frequenti quidem, sed minore motu micat, quia sanguis arteriosus magno motui resistit, nec vltra protrudi potest, propter obicem obstructionum; hinc pulsus depressus, hinc minùs libera respirandi facultas, tum quia rami arteriosæ & venosæ adeò turgent, in pulmonibus, vt tracheæ meatus & ductus inde contrahantur: tum quia copiosior sanguis qui pulmonibus

ineſt, majorem vim fuliginum exhalat, quæ reſpirationi noxiæ ſunt.

Quia verò ſenſim febrilis humor ex illis anguſtiis, perenni ſcilicet cordis agitatione & niſu, ſeſe liberat, & in ampliores venarum alueos extruditur; tunc quaſi fractis carceribus, ſanguis arterioſus exundat, & magnā ſecum caloris vim in venas vehit; hinc febris æſtus, & quia jam turgent venæ capillares; hinc ſudor, per hiatus oſculorum manat; hinc etiam frequens & magnus pulſus, quia cor ſeſe liberiùs agit; hinc demum aſſurgunt venæ & arteriæ deprimuntur: Paroxiſmi diuturnitas a majore copia febrilis humoris; ardor verò & ſæuitia a majore eiuſdem cruditate & craſſitudine procedit: hęc & innūmera ferè alia in noſtra hypotheſi facilè explicantur.

Ex his concludo, noſtri pulueris vim in eò potiſſimùm poſitam eſſe, quod febrilem humorem diſſoluat, hæc autem diſſolutio per ſeparationem partium fieri dumtaxat poteſt; ſic gummi, ſal, aliaque huiuſmodi humore macerantur, ſoluuntur, liquantur: hæc verò ſeparatio ideo fit, quia ſubtiliores pulueris particulæ, vocentur corpuſcula febrifuga, partes majuſculas humoris febrilis, vocentur corpuſcula febrifica, comminuunt, quod fit per interceptionē quamdam; nempè febrifuga cum tenuiora ſint, in plexum

febrificorum facilè subeunt, eumque acrimonia sua dissoluunt; analogiam habes in dissolutione salis, gummi, metalli, ab aquis fortibus: vt autem febrifuga, hunc dissolutionis effectum præstent, febrificis, analoga esse debent, id est talem cum illis habere habitudinem & proportionem, vt vocant; Sic aqua stygia ferrum mordet & rodit, vngulæ verò parcit asininæ, quippe omnes figuræ inter se nō congruunt nec eiusdem generis sunt pori.

Itaque Puluis noster quartanam fugat, quia iis corpusculis constat, quæ apta sunt ad soluendum humorem febrilem; alia verò medicamenta simili facultate non pollent quia iis huiusmodi corpuscula non insunt; sic aqua stygia, vt dixi, ferrum subigit, quod alii succi macerare non valent; solutus verò ac dissipatus febrilis humor, laxatis eadem opera meatuū osculis, vel ostiolis, facilè deinde extruditur, per aluum, vrinas, sudores, secreta effluuia, vel alia qualibet via: hæc enim, quam Medici resolutionem vocant, extrusio potiùs dicenda est, quæ febrilis humoris solutionem supponit, sic vnum medicamentum atram bilem purgat, aliud flauam, hoc lienem, illud renes, quia corpuscula insunt analoga corpusculis, ex quibus illi humores constant, & fibrarum plexui talis visceris.

Erunt fortè, qui hæc exſibilent; ſed nihil melius habeo, quod porrigam, immo nihil aliud video: nempe illa vis motrix, expultrix, magnetica, qua medicamentum pollere dicitur: meis quidem auribus ſonat, ſed vt mera vox: at Galenus noſter, inquies hæc ad mittit; quid faceres, Galenus homo fuit qui vel in ipſis elementis, ſcilicet in anatomicis multa peccauit, vt veſtri quoque Veſalius, Valuerdus, aliique teſtantur.

Sed vt ad rem propius accedam, ex deſcriptis & expoſitis ſupra noſtri pulueris effectibus, multa concludo. 1. tardum & lentum eſſe, non valentiſſimum, vt aiebat ille, quia illa vis altè infixa & ſepulta eſt, id eſt illa corpuſcula intus latentia & arcte implexa. 2. generoſo vino eoque albo diluendum eſſe & macerandum, vt vis illa vini altè penetrans, illa corpuſcula educat, & in meatus venarum & arteriarum, facta quaſi via, ſecum deuehat; album enim vinum altiùs penetrat, generoſum facilè rareſcit & accenditur: hinc vinum huius virtutis quaſi vehiculum eſt; quod intimos etiam ſubit vaſorum receſſus; 3. ineunte paroxiſmo, porrigendum eſſe; quia febrilem humorem in capillaribus diſtractum, ac proinde debiliorem nactus eundem facilè ſuperat; nempe vini particulæ ſubtiliores ſtatim ex ventriculo per truncum lacteum cor petunt, vnde

per aortam, rarescente præsertim materia ad capillares traducũtur. 4. augeri vt plurimùm frigus, quia corpuscula febrifuga, majora præsertim & crassiora, nouas obstructiones faciunt. 5. febrem cessare, soluto scilicet febrili humore. 6. Interdum tamen reuiuiscere, vt enim soluitur, soluto humore febrili, ita redit, quia nonnihil febrilis fermenti manet, insitum scilicet crassioribus corpusculis sumpti pulueris, non verò subtilioribus, quæ cum humore febrili expelluntur, eoque soluto atque subacto; hinc recidiuæ causa, modicum enim fermentum totam massam corrumpit.

Ex his alia quoque deduco. 1. puluerem nostrum mirifica quidem virtute præditum esse, quia scilicet obstinatissimam & acerbissimam febrem, temporis fere momento, extinguit, qua certè, meo quidem judicio, in hoc genere, nihil majus hactenus aut mirabilius India protulit, sed aliquid maligni inesse, quod deinde recidiuę causa sit, vocemus distinctionis gratia, hoc quidem, vitium, illud verò virtutem pulueris. 2. colligo subtilioribus pulueris partibus virtutem pulueris; vitium crassioribus inesse. 3. Subtiliores a crassioribus segregandas esse, vt sola pulueris virtus sine vitio adhibeatur. 4. vt autem segregētur cum altè & arctè insint longa maceratione opus esse 40. scilicet

vol

vel quinquaginta horarum, expressa deinde per laxiorem telam diluto, 5. fæcem, quæ restat inutilem esse & valde terrestrem; hinc aquæ injecta, perinde quasi arena esset, magno impetu deorsum fertur. 6. per distillationem ex hoc puluere liquorem parari posse, qui eadem vi polleat, & longè facilius sumatur: hunc autem paratum esse resciui a Collegii Romani Pharmacola peritissimo, qui ea, qua est charitate aduersùs ægros, rei domesticæ penuria laborantes iisdem tum pulaerem, tum præfatum dilutum, accepto scilicet Medici testimonio, gratis & liberaliter impertitur. 7. denique concludo, puluerem in diluto exhibitum, justa mensura duarum scilicet drachmarum, sed paulò majore vi, et nisu expresso, febrem fugare, citra vllum recidiuæ periculum: sic nonnulli meò consilio et exemplo a febre omnino liberati sũt, nec vlla deinceps recidiua correpti fuere.

Cęterùm clarissimus et doctissimus Auctor æqui boniq; consulet, quod hæc pauca rescripserim; plura tamen scripturus, si vel ipse iubeat, vel alius vberiorem dictorũ explicationẽ exigat; Ille autem, vt sub finem libelli per iocum ait, auiis et puluerulentis locis peragratis, aliquid pulueris facilè collegit; Ego verò molliùs et leuiore manu excussi; vt enim duriùs agere, Philosophorum mores prohibent, ita Christianorum leges vetant.

FINIS.

LECTORI

NE fortè maiorem in me ſynceritatem deſideres, aut fidem meam accuſes, ingenue Lector, integram, ad verbum tui gratia, Illuſtris Aduerſarij ſcriptionem Typis mandari curaui: vt probè intelligas, nihil a me illi affictum fuiſſe, nec diſſimulatam, aut eluſam argumentorum vim, quibus innoxium puluerem difflare aggreſſus eſt: cum enim viderem, Libel*los huiuſmodi raros proſtare, omni quaſitus cura te liberum eſſe volui.*

Subnecto etiam modum illum, quo præfatus puluis exhibitus hactenus fuit, vt, cum opus erit, illum adhibeas, niſi fortè alium, qui tam fœliciter mihi, ſucceſſit, præferendum eſſe exiſtimes.

Modus præparandi, & ſumendi corticem Febrifugum.

HIC cortex in quartanis, & tertianis febribus, quæ cum frigore ægros corripiunt, hoc modo præparatur et ſumitur.

Sit doſis duarum drachmarum; probè teratur, et cribro pollinario ſuccernatur; tribus ante paroxiſmum circiter horis, diluatur ac

mace-

maceretur in calice vini albi generosi; tum ineunte febrili frigore, calice illo exhausto, æger in lecto decumbat.

Porrò obseruandum est, istum pulnerem adhiberi posse in tertiana, vbi hæc iam per multos dies sæuiit; item in quotidiana intermittente, quæ cum frigore coniuncta est, sed post elapsos 25. aut 30 dies, iuxta consilium Medicorum.

Communis autem et longa experientia probatum est, illos omnes penitus cõualuisse, qui purgato priùs vt par erat, corpusculo, nulloque per quatuor a sumptione dies, alio medicamẽto adhibito, prædictum corticem sumpserunt: nũquam tamen porrigatur, nisi de Medicorum cõsilio, quorum erit, de temporis opportunitate iudicare.

Obseruandum etiam est, vehemẽtem purgationem, ad huius pulueris vsum necessariã non esse, si iam purgãdo corpori morbus occasionem præbuit; sed satis esse, vt pridie clystere, vel alio quopiam leniore medicamẽto corpusculum purgetur.

PVLVIS FEBRIFVGVS

ORBIS AMERICANI

Iussu Serenissimi Principis

LEOPOLDI GVILIELMI

ARCHIDVCIS AVSTRIAE

BELGII AC BVRGVNDIÆ PROREGIS,

VENTILATVS

Ratione, experientia, auctoritate

A IOANNE IACOBO CHIFLETIO
Equite Regio Archiatrorum Comite, & Archiducali Medico primario.

M. DC. LIII.

INDEX CAPITVM.

Caput

Caput IV. Miracula pulueris febrifugi non sunt perpetua: quot quot hic Bruxellæ eo sumpto à quartana liberati omnes sunt relapsi.

Caput V. Expenduntur commoda & incōmoda Peruuiani pulueris; ostenditurque vsum eius Europæis necessarium non esse.

Caput VI. & vlt. Non etiam tutus videtur vsus pulueris Peruuiani ob grauiora mala quæ ab illo sequi possunt.

PVLVIS FEBRIFVGVS ORBIS AMERICANI VENTILATVS

A IO. IAC. CHIFLETIO.

CAPVT PRIMVM

Ex Orbe Americano allatus est in Europam cortex febrifugus; cuius in puluerem redacti frequens vsus: Schedion de illo Romæ Typis vulgatum.

IVRE merito, & ex genio meo, verba Pythagoræ apud Nasonem hìc vsurpo.

Magna, nec ingeniis inuestigata priorum, Lib. 15 Metamor.
Quæque diu latuere, canam.

D Sic

Sic autem cnm Cornelio verè Celso exordior: [Nusquam non fuit Medicina: siquidem imperitissimæ Gentes herbas aliaque prompta in auxilium vulnerum morborumque nouerunt.] Existimabat clarus in Medicina Herophylus, nihil nō herbarum vi effici posse; sed plurimarum vires esse incognitas, quòd literarum ignari illas experirentur, vt qui soli inter illas viuerent. Turpissima causa raritatis, quòd etiam qui sciunt, demōstrare nolunt, tamquam illis periturum sit quod tradiderunt aliis. Ita namque reconduut, qui pauca aliqua nouere, sic inuidentes aliis, vt neminem docere in auctoritatem scientiæ sit.

lib. 1. in Proœmio. Plin. lib. 25. cap 2. lib. cit. cap. 1.

Non placent Plinio remedia longè nascentia: [Non nobis nascuntur, *ait*, imò nec illis, quia non venderent.] Verum quidem est, cuique regioni, cælo, climati naturam suas producere plantas; & quod aduersum morbos est necessarium, exhibere. Nihilominus etsi [non tractaret in Medicina Plinius alienos orbes;] non tamen omisit petita ab illis remedia, [propter miraculum: Tentauere Gentes, *inquit*, transferre ad se Malum Assyriam fictilibus in vasis, propter remedii præstantiam. Ficum Indicam mirata est Alexandri Magni victoria

lib. 22. cap. 24. lib. 24. cap. 11. lib. 12. cap. 3. 5. & 25.

ctoria orbe eo patefacto. Ostendere Romæ Balsami arbusculam Cęsares Vespasiani, postquam Iudæos inter & Romanos dimicatum pro frutice est. Denique iam à prisco æuo, summum munus homini datum arbores syluæque intelligebantur. Lib eodem in procœmio.

Hodie inter præcipua naturę miracula censetur à plerisque arbor, quæ nascitur in Peruuiano Americani Orbis Regno amplissimo, vocaturque ab incolis *Gannanaperide*, ab Hispanis *Palo de calenturas*, idest *Lignum febrium*. Vis eius præcipua est in cortice (*Chinam febris* nuncupant) qui assumptus in puluerem paroxismos febriles fugat, incerta adhuc ratione, & abdita in maiestate naturæ. Paucis ab hinc annis ex Peruuio nauigiis deuectus est in Hispaniam, & inde Romam ad Eminentiss. Cardinalem Ioannem de Lugo, patria Hispalensem, vnde celebritatem iniuit; proditque typis Romæ Schedion, quod ex Italico sic Latinum feci.

[Adfertur cortex iste ex Peruuiano Regno, vocaturque *China febris*; exhibetur contra febrem tertianam & quartanam, quæ cum frigore ægros prehendunt, & quæ per multos dies sunt confirmatæ. Præparatur autem in hunc mo-

dum: Corticis drachmę duæ tunduntur subtiliter, ac per setaceum traiiciuntur. Tribus horis ante paroxismum puluis maceratur in vini albi potentis cyatho; dumque frigus febrile incipit, vel sentitur aliquod leue accessionis principium, sumitur tota dosis præparata, ægerque se componit in lecto. Constat experientia omnes ferè, qui eo puluere sunt vsi, à febre liberatos fuisse, purgato benè priùs corpore, & quaternis à sumptione diebus abstinendo ab omni alio medicamento. Sed non est assumendus nisi præuio Medici consilio, qui iudicet de modo & tempore quod sumptioni sit opportunum.] Hactenus Schedion quod à Romanis pharmacopolis corticem pretio parantibus dari solet.

Roma deinde in Belgium attulere Societatis IESV Patres, qui ad electionem Præpositi Generalis in Vrbem cõfluxerant. Sed & etiam Michael Belga, *à Veteri molendino* cognominatus, Bruxellam attulit ex ipso Peruuio; vbi in regia ciuitate Lima per annos aliquot egerat in familia Marchionis de Macera Peruuij Proregis.

CA.

CAPVT II.

Enucleantur pulueris febrifugi qualitates ac vires: vinum album potens est eius vehiculum.

QVARTANA febris omnium putridarum [a] *securissima* est, [b] *neminemque iugulat*, siue oriatur à melancholico succo, siue succedat tertianis aut erraticis ab assata bile; sic tamen, vt qui ea detinentur, nullo hepatis aut lienis graui affectu laborent: dat enim illa naturæ interuallum, vt sese colligat binis diebus, quibus intermittit. Verumtamen quia *longissima* est, *filia Saturni* idcircò dicta, & propterea quòd *Medicina clinicè in ea ne quidquam pollet* omnisque professio medendi torpescit, affecti tædio ægri quęrunt compendia, omnemque lapidem mouent, vt ab eiusmodi repetitis insultibus liberi reddantur.

a Hippoc. 1 Epid. sect. 3. b Celsus lib. 3. cap. 15

Hippocr. loco cit.

Plinius lib. 30. cap. 11.

Quod spectat ad remedia in eum scopum antiquis vsitata, [qui nusquam visi sunt magis superstitiosi, quàm in inueniendis quartanæ remediis; Credunt, ait Plinius, *Quartanas* excutere potum

Heurn. lib. de Feb. cap. 25. liq. 19. cap. 6.

lib. 3. cap. 48 caput allij, cum laserpitij obolo, in *vino* austero. Docet Dioscorides, Rutam syl- lib. 1. ad Glauc. cap. 11 uestrem cum *vino* potam *quartanas* abigere.] Galenus sapienter post statum totius ægritudinis, *Theriacam* in potu dabat, ægrisque permittebat [vinum album mediocriter calidum, salsa, sinapi, & diatrion pipereon.] Alij feliciter vsi sunt mirrha, pipere, centaurio minore, imperatoria, chamedry, & similibus ex vino sumptis. Qua vi autem medicamenta eiusmodi calida & amara paroxismos febriles abigant, sic explicauit Philosophorum doctissimus Aristoteles: Sect. 2. probl. 48. [Febris *quartana* imbecilla est; nam nisi imbecilla esset, quartana non fieret. Videsne lucernam, vbi multus ignis perflagrat, suam seruare flammulam minimè posse? multus enim ille exiguum ad se rapit. Multum ergo ignis accendendum in corpore est, vt quod exiguum febris continet, extinguatur.] Illa est antiqua philosophia, quæ sic intelligi debet, vt declinante vniuersa ægritudine, febrisq; pabulo magnam partem iam imminuto calidiora medicamenta, quod humoris peccantis tenue ac residuum est absumant; & ita minorem febris ignem extinguant.

Puluis Peruuiani corticis colore, cro-

ceus, seu veriùs cinnamomeus, sapore amarissimus est, & subausterus. [Valentissimum autem est, inquit Hippocrates, inter dulcia dulcissimum, inter amara *amarissimum*, inter acida acidissimum, & quod in re quaque summum est.] Sapores primarum qualitatum sunt internuncij: *amarus*, qui in terrestri & adusta residet substantia, calidus est, siccatque, discutit, & putredinem arcet: *austerus*, qui terreus, & crassæ essentiæ, cogit, refrigerat, repellit, stipat; vnde puluis ille, vt amarus, febrile frigus abigit, & caloris putredinosi pabulum tenuiùs (quod initio paroxismi fermentescit & ebullit) calore suo discutit & absumit; vtque austerus, residuum humoris; quod crassius est, stipat, cogit, & refrigerat.

De Prisca medicina.

Cur autem, & quomodo puluis ille febrifugus cum vino albo exhibeatur, paucis est explicandum. Vino stomachus roboratur, inquit Plinius, appetentia ciborum excitatur, tristitia, & cura hebetatur, vrina & *algor* expellitur, somnus cōciliatur, nec aliud viribus corporis vtilius, si modus adsit: vnde vtilitatem vini Asclepiades Deorum potentia vix æquari posse pronunciauit. Sed ad rem istam notatu dignus est al-

lib. 14. cap. 5. lib. 23. cap. 1.

ter iste Plinij locus: [In diutina tussi sorbetur *merum* vtiliter à ieiunis; item in *quartanis*.

lib. 23. cap. 1.

Hispanico vino generositas est celeberrima, nec vlli in Europa maior auctoritas: Rhenano apud Belgas nostros clarissimum nomen, quod plerisque stomachi delicatioris, nisi saccharo sit dulcoratum, non aliter sapit quàm optimum omphacium; vt *Surrentinum, cui nobilitatem Medici dederant*, Tiberius Cæsar dicebat esse *generosum acetum*. Burgundicum, & Aquitanicum non exiguæ sunt nobilitatis.

lib. 14. cap. 6

Romanum Schedion monet, tribus ante paroxismum horis macerandum esse puluerem in vini albi potentis cyatho. Litteræ Roma scriptæ insinuant vinum ad ignem sic debere calefieri, vt in potu ferri possit; dumque incipit febrile frigus, vino puluerem paulatim misceri, statimque deglutiri. Videtur præferenda pulueris permixtio in vino quod sit calens actu; Primò, quia pulueris terrei & crassioris vim ad se potentiùs trahit vinum actu calens, quàm frigidum. Deinde, quòd vinum vinculo frigoris solutum excitatur citiùs à calore natiuo, & ad agendum promptius impellitur. Tertiò, quia vini calentis vapores

17. Feb 1652.

pores, pulueris virtute grauidi, è ventriculo prosilientes, faciliùs per cœcos &occultos meatus in omnes corporis partes quaquauersũ effundũtur, tetràq; in venis effluuia discutiũt & absumunt.

Quisquis ergo auxilium hoc tentare voluerit, capere poterit vini albi ignitioris, multòque spiritu turgentis (quocumque tandem loco exortum sit) vncias quatuor, in quibus ad cineres fauillis turgentes, in vitro benè operto calefactis, miscebit pulueris drachmas duas pro robustioribus, vel drachmam vnam in vini vnciis duabus pro delicatioribus. Nullum enim remedium certam dosim habet, sed pro ratione ætatis temperamenti, virium, debet adæquari. Puluis ita glutitus geminos hostes obuios habet, quos impugnet, vt ægrum à cruciatu liberet; febrile nempe frigus, & subsequentem æstum: priorem qualitatis contrarietate superat; posteriorem dissipat, dum eius pabulum tenuius in venis motum discutit & absumit.

Eius rei exemplum illustre habemus in Serenissimo Archiduce LEOPOLDO GVILIELMO, qui Tornaci anno M. DC. LII. tempore autumnali, dum motis venis, sed incertis, & naturalem turbantibus modum, tertiana febre

notha

notha laboraret, incidit in quartanam duplicem, cum frigore & rigore. Confestim actum de ipsi exhibendo puluere febrifugo, cuius miracula ab assistentibus, etiam non Medicis, sublatè prædicabantur. Hæsi anxius; fateor: verebar quippe in re capitali coniecturam
lib. 2. cap. 6. aucupari. Recordabar cum Celso coniecturalem artem esse Medicinam, rationemque coniecturæ talem esse, vt cũ sepiùs aliquando responderit, interdum
lib. 1. in procemio. tamen nos fallat. Nolebam cum Nobilissimis quondam Medicis *in splendida persona* periclitari nouum remedium, quod necdũ mihi planè cognitum erat. Rationum autem momenta sic adduxi, vt aliorum fidei ac nomini nequidquam detractum vellem; etsi eorum consilio haud ita facilè acquiescerem. Nihilominus, habita numeri ratione, in ternis ante me dicentium suffragiis, qui confessa propter experimẽta innoxium puluerem asseruerant, laxatum rete. Datæ sunt igitur Serenissimo pulueris febrifugi drachmæ duæ, vini albi veteris Hispanici, quaternis vnciis permixtæ. Dies erat Octobris 16. hora 7. vespertina, qua febrile frigus decumbentem adoriebatur. Arsit nocte tota Serenissimo ventriculus, vltrò citròque commeante

ac

ac præliante natura. Horis matutinis 17. diei remisit febris, tandemque intermisit, superueniente copioso sudore; *Exequataq; sunt creperi discrimina belli.* Lucret lib. 5.
Eadem die 17. circa vesperam inuasit Sereniſſimum vt ante quartana duplex: verùm 19. & 20. qui dies erant recursus febris vtriusq; neutra comparuit; adeòque benè Sereniſſimo tunc ceſſit, vt per dies omnino 33. hoc eſt per vndenos integrè circuitus, qui Nouembris 18. die abſoluebantur, nullam febrem ſenſerit. Sed ſequenti ſtatim 19. relapſus eſt in eumdem morbum, cum frigore, ſiti, oris amaritie, & ſalſugine.

Poteſt ergo intra corpus humanum quandoque excitari temporarius & ſalutaris conflictus calidi cum calido, ignei cum igneo; vt venenum ſibi congeneris veneni exterminium intra corpus molitur: ſic enim de Aconito Plinius: [Ea eſt natura, vt hominem occidat, niſi inuenerit quod in homine perimat. Sola hæc pugna eſt, cùm venenum in viſceribus reperit: mirumque exitialia per ſe ambo cùm ſint duo venena, in homine commoriuntur, vt homo ſuperſit. Eamdem ob cauſam Elleborus iis eſt calamitoſus, qui ſunt integra valetudine;] quia vbi non inuenit noxios & lib 27. cap. 2. Hippocr. li. 4. aphor. 16.

vene-

venenatos humores, in quos vires suas exerat, humidum primigenium aggreditur, corpus liquat, mordet stomachũ, [& conuulsionem adfert, quæ est lethalis. Purgationes sunt perniciosæ, inquit Celsus, si nimis valentibus medicamentis fiant. Estque fęda calamitas, ait Hippocrates, à pharmaco purgatorio, hominem interiisse.] Nam idem medicamentum sanat, & occidit.

lib. 5. aph. 1. lib. 1. cap. 3. In frag. de pur. remediis.

CAPVT III.

Ponderantur cautiones, quas Romani Schedij Auctor obseruari præcipit ante, & post pulueris sumptionem.

PRIMA cautio: [Puluis exhibetur contra febrem tertianam, & quartanam, quæ cum frigore ægros prę hendunt.] Excluduntur ab vsu pulueris febre continua correpti, quibus si daretur, caliditate sua vino vecta incendium augeret, eosque perimeret: exhibetur solùm in febris internallatæ initiali frigore, qua diuexatos æui medii Scriptores vocant *Frigorificos*; ipsam verò febrem, *Morbum frigoritionis*; quē Gellius

Greg. Turonensis. Flodoardus. Baldericus. Hepidanus.

Gellius *Febrem rabidam* & *querceram*, lib. vlt. fine.
Lucilius *querqueram* nuncupat, in qua ægri concutiuntur frigore, vt solent, algido Borea flante.

Rigidæ motare cacumina quercus. Virgil. Eclo. 6.

Secunda cautio: [Exhibetur puluis in febribus, quæ per multos dies sunt confirmatæ;] hoc est, post morbi totius statum, in declinatione. Obseruatum à nonnullis, si duæ tertianæ vel quartanæ ægrum crucient, in maioris algente principio sumendum esse puluerem, siue illa ordine prior accedat, siue posterior. Ita namque in sequēti circuitu vtriusq; febris character, ad tempus saltem, obliteratus manebit.

Tertia cautio: [Non debet sumi puluis, nisi *benè* expurgato priùs corpore. lib. 2. aph. 10.
Particula *benè* multa comprehendit. Corpora cùm quis purgare voluerit, meabilia faciat oportet.] inquit Hippocrates. In primis autem meabilia redduntur per venę sectionem, vbi vasorum plenitudo adest, vti Serenissimo per febris initia bis factum. Deinde per humorum, qui sunt euacuandi, præparationem. Ad bilis adustæ (quæ in Serenissimo redundabat) contemperationem, simulque ad humores crassos in pancreate & mesenterio hærentes attenuādos,

dos, exhibita sunt iuscula matutina pulli gallinacei, endiuia & borragine alterata addito limonum succo, vel cremore acidulo tartari. Tum etiam, remittente iam febris ardore, ad robur cordis, & solatium stomachi æstuantis; hausit Serenissimus aquæ fontis, cum tantillo flaui ac tenuissimi limonum corticis leuiter coctæ vncias sex, subactis in eo liquore conseruæ acredinis citri, Genua aduectæ, vnciis duabus. Clysmis lenioribus mollita est astricta aluus; purgatusque est aliquoties Serenissimus Sena, Rheo, & Manna, ex quibus talia deposuit, qualia oportebat, leuiterque tulit.

lib. 4. aph. 9 lib. de Affect. Hippocrates [melancholicos per inferiora purgandos iubet; & in quartana præcipit, medicamentum deorsum purgans in ipsa accessione dandum.] Ego tertianas duplices & contumaces non semel excussi Senæ infuso in sero lactis ter exhibito hora vna ante totidem paroxismos. Humorem morbificum ex occultis sedibus erumpentem, ac ebullientem; absque vllo laborantis incommodo, Sena, velut manu, collegit & exclusit; non secùs ac feruente carnium olla, cochleari spuma detrahitur; vel certè vt soricem è latibulo prodeuntem Ælurus capit, nunquam intro regressurum.

rum. An idem eueniret in quartana hyemali valdè dubito; propter materiæ crassitiem, & viarum angustiam. Hoc quidem certum, perperam exhiberi puluerem febrifugum iis, quibus ventriculus & viscera adiacentia cruditatibus scatent, quæ vi pulueris discuti nequeũt, imò densantur eius calore & siccitate; vnde augentur viscerum infarctus, malique peruicacia obstinatior redditur.

Abstinendum etiam puluere febrifugo, vbi hepar aut lien obstructione laborant: tum enim etiamsi sponte vel arte euacuata sit pars materiæ febrilis, malum tamen redit; quia non sanat obstructiones emissus humor, sed medicinæ locum facit, quam intus inclusus impedit. Vidit Petrus Forestus iuuenem quartanarium, qui sumpto cum aqua vitæ puluere composito ex pipere, cardamomo, sinapi, & similibus à febre liberatus in hydropem incidit lethalem. lib. 3. de Feb. cap. 36. [Quamuis enim, *ait Forestus*, ex calido medicamento epoto febris cessauerit; tamen vtroque viscere obstructo, & præcipue liene indurato, ex siccitate duriora viscera, effecta sunt, tenuiori materia per calorem exhalante.] Reuera quicumque prætermissis eiusmodi cautionibus febrifugum puluerem exhibẽt,

ludunt

ludunt de corio humano,& experimenta per mortes agunt.

Quarta cautio: [Quaternis à pulueris sumptione diebus abstinendum ab omni alio medicamento.] Vt nempe pulueris efficacia plenè innotescat, quæ deprehendi solùm potest in sequenti circuitu. Quod addit Romanum Schedion, [Experientia constare, omnes penè, qui sumpsere puluerem, à febre fuisse liberatos;] id inter temerè iactata poni potest, & puluerem pretio Romæ distrahentium auaritiæ tribui: liberat enim puluis a paroxismis aliquot non verò à tota febris causa, quæ relicta mouet recidiuam.

Quinta cautio: [Capiendum à Medico consilium.] Efficax est in remediorum vsu præceptio, ne quid temerè à Medico adferatur, qui vitare debet noxia, & scopum sanitatis semper affectare. Quapropter consulendus est Medicus, qui sit vir probus & doctus; qui noscat communem omnium naturam, & cuiusque propriam; qui nosse ac definire sciat, quæ pars laboret, & quibus remediis curari debeat citò, tutò, & iucundè. Vitanda autem consilia eorum, qui sunt imperiti, & fraudium architecti; [qui (monente Cardano) seruitute

affi-

assiduitate, collusione cum pharmacopolis, chirurgis, tonsoribus, obstetricibus, parasitis, cubiculariis, adulatoribus, cauponibus, omniq; hominum colluuie gloriam inanem sibi quærunt.] Qui denique, (verba sunt magni Apollinaris) parum docti, & satis seduli, ægros multos officiosissimè occidunt. In Thes sal. lib. 2. ep. 12

Cæterùm extra cancellos meos non egrediar, si cautiones à Cornelio Celso in quartana desinente præscriptas hic subiunxero: [Si febris quieuit, *diu* meminisse eius diei conuenit, eoque vitare *frigus, calorem, cruditatem, lassitudinem*, facilè enim *reuertitur*: nisi à sano quoque aliquamdiu timetur.] Particula *diu* πολυχρόνιον significat: vt enim *dudum* dicitur de spatio temporis breuiori, ita *diu* de longiori. Diei ergo, quo solebat redire febris, diu oportet recordari; eoque vitare primò *frigus*, quod transpirationem prohibet, cutem densat & indurat, humores cogit, & accersit rigores suppressione fuliginis, quæ solebat emanare; *calorem* deinde, qui immoderatus dissoluit corpus, spiritusque dissipat & absumit; etenim vt sit salutaris aer, exquisitam mediocritatem habere debet; tertio loco *cruditatem*, quæ oritur à nimio alimento: vt enim flam- lib. 3. cap. 16.

ma extinguitur, si multa ligna coniicias in focum, aut lucernæ copiosiùs oleum affundas; ita & calor natiuus obruitur ab alimenti copia, maximè cùm ventriculus morbi diuturnitate languidior est factus. [Simplex olim erat ex simplici causa valetudo: multos morbos, multa fercula fecerunt. Ego temperantiæ debeo, quod adhuc hodie viuo. Quartò denique deuitare iuuat *lassitudinem*, quæ immoderatæ exercitationis soboles est; vnde agitati per laborem humores concipiunt putredinem, nouamque febris causam præbent. In his porrò cautionibus Celso penè adstipulatur Galenus: [Ægritudine primùm liberatus, *æstum, frigus, vigilias, cruditatem*, aliudue quidpiam ferre non valet: sed quantumuis leui causa pulsatus, nondum vtpote tutum, firmum, salubremque statum adeptus, in ægritudinem est relapsurus.

Seneca ep. 35

Ad Thrasib.

CA-

CAPVT IV.

Miracula pulueris febrifugi non sunt perpetua: quotquot hic Bruxellæ eo sumpto à quartana liberati, omnes sunt relapsi.

AETNÆVS ignis quiescit per interualla, & cum desæuiisse creditur, redit: cineres exusti, ac penè nulli suas in foco seruant fauillas, noui fomites incendii; aperta quadam febrilis æstus imagine, qui sæpè in occulto latens nouos denuò ignes exerit, quòd pacato priore incendio remaneat ἐμπύρευμα nouas promouens flammas ex relicta in visceribus sorditie; vt qui se iam sanos, ac pristinæ valetudini restitutos existimant, adhuc incedant per ignes suppositos cineri doloso. Adeò verum est, ac perpetuum Hippocratis effatum: [Quæ *relinquuntur* in morbis, post iudicationem *recidiuas* facere consueuerunt. Ad quod Galenus sic ratiocinatur: Per ea, quæ relinquuntur in morbis, malorum humorum *reliquias* intelligit, quas *necessarium est* tempore Putrescentes febrem accendere: cum humor omnis

Horat. lib. 2. Carm. Ode 1.

lib. 2. aphor. 12.

In Cómeut.

E 2 alie-

alienus à natura corporis, in quo continetur, aptus non ſit ad eius nutritionem & deinceps *neceſſariò* ad putredinem conuertatur. Quando autem & locus calidus erit, in quo fuerit collectus, tunc & maximè & celerrimè putridus fit.

In quartana febre materia morbifica adeò craſſa eſt & copioſa, vt quę autumnali tempore incœpit, vix deſinat ante vernum Æquinoctium. Neque materia quæ corruptionis ſemina continet, tota ſimul putreſcit & accenditur: portio, quæ tenuior eſt, dum in paroxiſmo rareſcit & ferueſcit, à febrifugo puluere diſcutitur: quæ verò craſſior, & pinguis ineſt, non facilè abſumi poteſt, adeòque relinquitur; quinimmò denſatur magis, atque compingitur, vt videatur æquè
lib. 2. c. 106 fixa ac ille [cinis, quem in lucinæ Iunonis ara, ſub dio ſita, immobilem fuiſſe perflantibus vndique procellis,] Plinius tradit. Poſt aliquot ergo circuitus febre vacuos, illæ ſorditiei reliquiæ fermenteſcere incipiunt, vnde *neceſſarius* eſt in febrem *relapſus*, dum latens μίασμα ſiue *inquinamentum*, incendij ſemina concipit, accenſumque

Vig. 4. Georg. *Aeſtuat, vt clauſis rapidus fornacibus ignis.*

Signa verò recidiuæ imminentis ſunt iſta: Dolor capitis; vigiliæ; amarum os

& ſal-

& salsum; innappetentia; sitis; stomachi dolor & inflatio; aluus astricta; vrina cruda; lassitudo spontanea. Non tamen vt omnia simul adsint, sed aliqua tantùm.

Serenissimus post assumptum iteratò puluerem febrifugum die 7. Decembris factus rursum à febre liber, post quintum circuitum febre vacuum, die 23. Decembris noctu incidit in turbationē alui suprà & infra, ex qua cruda tantùm & serosa exclusit, manifesto alterius recidiuæ indicio, quæ contigit 9. Ianuarij. Sed ante & post hunc relapsum; Serenissimus molestis stomachi, coli lumborumque doloribus est affectus; qui cùm fomentis & balneis solùm delinirentur, simul tādem & omnino sedati sunt melicrato absinthite assumpto; de quo ita Galenus: [Si tibi coctionis signa monstrantur, iam cum fiducia *absinthium* potes exhibere, quod alioqui *summum est remedium*, mordicationum stomachi, quæ à bile proueniunt, si præsertim ex eius coma, quantum sufficiat, accipiens *melicrato* intinxeris.] Paratum fuit illud melicratum proportione habita librarum quatuor aquæ fontis, ad vncias totidem Hispanici mellis tum in eo frigidè infusus est comæ siccæ absinthij vul- lib. 1. ad Glauc. cap 9.

 garis

garis manipulus vnus, linteolo mundo inuolutus. Sumpsit Serenissimus horis matutinis vncias sex. Dulciore mellis succo molliores facti sunt meatus, & infestæ morsu bilis asperitas mitigata, quæ absinthij amarore detersa est. Simplicibus remediis libentiùs vtimur, quàm

Plin. lib. 22. valdè mixtis, [quæ officinarum, seu veriùs auaritiæ commenta sunt.]

Sic ergo nostri quartanarij, qui ex assumpto puluere se conualituros sperabant, omnes ad vnum sunt relapsi; non absumpta nempè, neque exclusa tota morbi causa. Quod cum Serenissimo perspectum esset, atque ab ipsomet bis expertum, maluit remedio eiusmodi abstinere deinceps, quàm dubia per compendia vim naturæ morari ac distinere. Adde quod Augustissimus Imperator FERDINANDVS III. eius frater, ipsi per literas ex intimo amoris sensu significauit, se nullo modo proba-

cap. 24. re vsum illius pulueris. [Nihil est aliud *Imperium*, vt sapientes definiunt (inquit Ammianus) nisi cura salutis alienæ:] hanc bifariàm accersit Cæsar, CONSILIO & FORTITVDINE. Decreuit itaque Serenissimus obseruare idoneam victus rationem, per quam non substituto ad febrem fomite, humor qui su-

pereſt, paulatim abſumatur, atque ita accessiones, quæ nec impetum habent, nec diuturnitatem, expectare ad horam & æquo animo tolerare; donec maſculi ſyderis appropinquatione, ſucci craſſiores viſceribus impacti, officioſo munere emicantis naturæ ſenſim diſſoluantur. [Hyberno tempore (quo potiſſimùm quartanæ vigent) fieri ſolet, vt humores intra corpus tamquam latibulis quibuſdam deliteſcant, vireſque robuſtæ ſeruentur ac permaneant. Quare tum nec morbi ſoluuntur (perſeuerantibus ſcilicet eorum cauſis) *nec moriuntur* ægrotantes, ipſis contra vim morbi abundè ſuppeditante virtute.] Vbi ergo nullum à febre periculum, tolerantia eſt opus, donec aeris tepefacti melior conditio pepaſmum iuuet, & meatuum libertas cauſæ promoueat excretionem. Calen. com. 2 aphor. 25.

Sique ſupererit aliquid ad recidiuæ longinquioris fermentum tutò, & facilè remoueri poterit acidula Spadana, qua Sereniſſimus ante biennium cum fructu eſt vſus. Aquam illam *ferruginei ſaporis*, vt ſingulare ad tollendas viſcerum obſtructiones remedium, fluere natura iuſſit: ea leuatus aliquando Lipſius, prorupit in hæc verba: [O illa ſalutifera! quòd ſpirô, quòd ambulò, quòd Plinius lib 31. cap. 2. Lib. 4. Polior. Dial. 1.

 ſcri-

scriptito, huic acceptum refero.] Medicina certè nostra Spadanæ perfugio feliciter vtitur.

CAPVT V.

Expenduntur commoda & incommoda Peruuiani pulueris; ostenditurque vsum eius Europæis necessarium non esse.

De vita beata cap. 17. SENECA Philosophus, rarum illud sapientiæ lumen, in podagra, qua laborabat, [deliniimenta magis quàm remedia componebat, contentus si rariùs accederet, ac si minùs verminaretur.] Mens est alia frigoriticis, qui, post assumptum puluerem, pro certo habent febrem non redituram; cum tamen perinde fallantur ac illi qui se vicisse putant in causa, cùm distulerunt vadimonium. Eo glutito maiora quidem interualla febris facit, & retardatur, quod vnicum pulueris commodum est; sed causa morbi ex parte remanet, quod maius incommodum. Extinguitur enim ignis ad tempus, ac rursum accenditur; nec lucrantur aliud puluere

ytentes

vtentes, quàm hæsitationem quamdam ac moram. Dicet aliquis, dari ab illo inducias, augeri commodis naturam, fierique potioris conditionis. Sit ita: induciæ non semper via sunt ad pacem; vnde dux exercitus etsi nullam tunc impressionem fieri iubet, custodijs tamen positis sibi cauet ab hoste, ac si reuersuro, bellumque grauius illaturo.

Ad pulueris in Europa necessitatem quod attinet; ego nullam esse contendo; & primò quidem, propterea quòd quartanam, per se alioqui securam, citra remedia, natiuo calore aucto, ac vegetiore solui non rarò contingit. Hippocrates de virtute calidi innati: [Quo tempore *frigus* innascitur, & hominem affligit, primùm ex eo ipso *calidum* indidem *ex homine* præstò est, sine vllo præsidio atque apparatu: idque tum in sanis, tum in ægrotantibus efficit. (Cornelius Celsus de quartanario:) Quo die febrem expectabit, ante surgere, & *exerceri*, dareque operam oportet, vt in ipsam *exercitationem* ipsa *febris* incurrat: sic enim sæpe illa discutitur.] Lib. de prisca Medicina. lib. 3. cap. 16.

Q. FABIVS Maximus Consul (Plinij verba sunt) apud flumen Isaram prælio commisso aduersus Allobrogum Aruernorumque Gentes ad 6. Idus Augustas lib. 7. cap. 50

130. millibus perduellium cæsis, febre *quartana* liberatus est *in acie*.] Pugnādi scilicet ardore, nouo velut incendio, incendium vetus febrile discussum est.

PIVS II. Pont. Max. in Conc. Mantuano, graui ægritudine stomachi cum febre afficiebatur, arida tussi adeò vexatus, vt de vita eius & ipse & Medici dubitarent: [Pontifex languidus, & ingēti dolore oppressus, sublimi sedens solio, & admodum anxius, vix fari poterat: at vbi *calor* inualuit, *ardens* dicendi vi, dolore superato, affluentibus verbis sine dolore locutus, trium horarum habuit orationem, statimque ex aula in cubiculum rediit, omni langore ac dolore liberatus: ita *calor* orationis *frigus* omne deiecit è stomacho.]

lib. 3. Com.

Id factum aliàs quoque per subitum metum. [Multos fortuita iuuant (inquit Seneca) nec ideò remedia sunt; & in flumen alicui cecidisse frigore magno causa sanitatis fuit: quo modo quorumdam *quartana* flagellis discussa est, & *metus* repentinus animum in aliam curam auertendo, suspectas horas fefellit. (Cœlius Rhodiginus:) Sed & vsu venire compertū, *vt timore* præsigni etiamnum morbi discutiantur; cuiusmodi singultus,

li. 6. de benef. cap. 8.

lib. 20. cap. 15.

tus, & *quartana* febris.] Vidit Villanouanus quemdam *quartanarium*, qui in paroxismi principio deiectus ex improuiso in flumen, à febre liberatus est. Vidit etiam alium, apud quem cùm excitatum fuisset artificiale tonitru, initio accessionis ex fragore tantum *timuit*, vt febris eum reliquerit. In subitario metu extrema corporis frigent, calor omnis ad interna celeriter cōtrahitur, crudaque superat & coquit, vnde lex morbi turbatur, atque frangitur. lib. 4. cap. 17.

Longè tamen diuersus fuit metus ille, qui non excussit febrem, sed adduxit, in Ioanne de Pictauia, Domino de S. Valerio, [qui ad mortem damnatus, cùm ad supplicium duceretur, *ex pauore* in tam acutam febrem incidit, vt venia in gratiam filiæ, quæ pulchritudine sua multorum Procerum beneuolentiam demeruerat, à Francisco I. Rege impetrata, vix ad mentem & sanitatem, sæpiùs misso sanguine, reduci potuerit: vnde *Sanualeriana febris* apud Francos in prouerbium abiit.] Thuan. lib. 3. hist.

Secundo loco, puluis Peruuianus Europæis nequaquam est necessarius, quandoquidem priùs quàm cortex ille, ex quo paratur puluis, ex Orbe Americano ad nos adferretur, alia iam habebamus

mus remedia specifica, paratu facilia & certa, modò rectè administrentur.

I. Solemne est remedium Galeni, *confectio de viperis*, quam Neronis Archiater Andromachus inuenit; de vsu eius in febris declinatione sic Lazarus Riuerius: [THERIACA exhibetur hora vna ante paroxismum, drachmæ vnius pondere *cũ vino*, aut decocto chamædryos: vel si nimia caliditas timeatur, cum decocto agrimoniæ, succo vel aqua plantaginis. Reiterandum est medicamentum per plures paroxismos. Potest etiã exhiberi manè extra paroxismum per aliquot febris dies: sed paulò ante paroxismum faciliùs operatur, quia augmentum frigoris prohibet, humoremq; febris causam, iam efferuescere incipiẽtem commodiùs discutit, & hoc modo paroxismum vel imminuit, vel si materia paucior sit, prorsus tollit.

Cap. de Quartana.

II. Daniel Sennertus de Febribus: [Nonnulli tribus horis ante paroxismũ exhibent *castorei* & *myrrhæ* ana drachmam semis, cum *vini albi*, aqua borraginis diluti, vnciis tribus: & *quartanas* hoc modo plurimas fuisse sanatas scribunt, si tribus vel quinque vicibus assumantur.

lib. 2. cap. 20

III. Horatius Augenius de modo curandi

lib 7. cp 8.

randi febres contumaces & rebelles: [Hoc vnum nolo prætermittere, quod apud me constat, longissimaque experientia comprobatum est, *gentianæ* succum prodesse multum contra eiusdemodi febres, & circuitus: Sunt qui laudant eius decoctum, quidam aquam stillatitiam; & mihi non displicet, vt qui viderim non semel multùm profuisse. Sed succus iis, qui cordati sunt, & generosi in assumendis medicamentis, adeò confert, vt nullum sit auxilium cum eo conferendum, vniuersalibus præcedentibus. Modus est hic: Rec. succi *gentianæ* cõdensati drachmam vnam; vel liquidi drachmam vnam semis, iuris pullæ vncias quatuor; specierum diarhodon Abbatis, & specierum aromatici rosati, scrupulum vnum, ad ventriculi robur indendum; capiat ante accessionem horis tribus. In multis vomitum prouocat, in aliis aluum mouet, sed maxima commoditate vtrumque facit, quia futuram accessionem prohibere solet, aut certè adeò illam diminuere, vt ægroto sit contemptui. Succum liquidum, non intelligo depuratum, sed cum sua fæce recenter extractum. succi extrahendi ratio hæc est: Contusa radix quinque diebus aqua maceratur; postea in eadẽ

tantis.

tantiſper decoquitur, dum extent radices; & vbi refrixit aqua, linteo excolatur; mox diſcoquitur dum mellis craſſitudo fiat, fictilique reconditur. Id ſcribo, quod pluries vidi, & certiſſimè obſeruaui.] Hæc Augenius. Quod ad me attinet; ſanctè affirmare poſſum, me (præmiſſis generalibus remediis) à diuturna duplici tertiana fuiſſe liberatum

Anno 1615 anno 1615. deglutita ſemel cum vino albo, ſucci radicis *gentianæ* maioris cõdenſati drachma vna, hora vna ant efebris inuaſionem. [Radix illa multum

lib. 6. Simpl. efficax eſt (inquit Galenus) cùm o pus extenuatione, abſterſione, purgatione, obſtructionis liberatione: nec mirum ſi hæc poſſit, cum impensè amara ſit.] Copioſa oritur in Iurenſibus Alpium appendicibus, vbi non ſemel illam vidi, effoſſamque domum tranſtuli.

IV. Drachma vna *myrrhæ*, cum *vino* Cretico calido, datur vtiliter *quartanarijs* hora vna ante paroxiſmum: ſed eos ſudare in lecto ſtatim oportet, tribus repetitis potionibus ante acceſſiones to-

In c. 67 lib. 1. Dioſc. tidem. *Hoc medicamento*, inquit Matthiolus, *ego ipſe curatus ſum*.

de herba Solſequio. V. Tradit Mizaldus *quartanas* febres curatas, propinato ante paroxiſmum *vino albo*, in quo ſeptem grana *calendulæ* trita

trita fuerint, repetito per dies aliquot haustu.

VI. Ioannes Crato ante accessionem *clinopodium* herbam *in vino* Neccarino decoctam dabat; horis matutinis nucleos persicos quinque mundatos;& pro cibo solum raparum decoctum,cum butyro recenti, saccharo & garyophyllis; quibus remediis à contumaci quartanæ morbo seruauit plurimos. Innocentius est medicamentum,quodcumq; & ignobilius: Alia pleraque apud Auctores adferuntur, quæ referre prolixiùs,nec paruæ, nec necessariæ sit operæ: [Aliud alij prodest, aliud alibi faciliùs inuenitur.] Non ergo indigemus crepero puluere, vbi tot remedia nobis suppetunt, & secura quidem,dummodò, vergente iam ægritudine, substantia viscerum principalium integra & robusta,concocto humore morbifico,& ritè euacuato,ad excutiendas materiæ febrilis reliquias opportunè præbeantur.

lib. 5. cós. 18

Plinius lib. 12. cap. 1.

CAP.

CAP. VI. & VLT.

Non etiam tutus videtur usus pulueris Peruuiani, ob grauiora mala, quæ ab illo sequi possunt.

IAM verò, an puluis Peruuianus tutò sumi possit à febricitantibus, colligere, cuiuis licet ex Artis Medicæ peritis, qui de caussis recidiuarum, deque pharmacis seu calidis, seu frigidis, quæ paroxismos febriles, non ablata morbi causa, derepente abigunt, iudicium tulere. Adducam, plerosque, et antesignanos omnes.

HIPPOCRATES maximus Medicorum, eiusque scientiæ conditor, Aphorismo à me iam laudato. [Quæ relinquuntur in morbis post iudicationem, recidiuas facere consueuerunt. (Franç. Vallesius in Commētar.) Quod in Aphorismo dicitur, apertum est: nam si succus, qui morbum faciebat, interiùs manet, neque à natura, vt fit sæpè, paulatim expellitur, neque à Medico expurgatur; quid aliud facere potest quàm recidiuam?

lib. 2. aph. 1.

II. COR-

II. CORNELIVS CELSVS, Latinos inter Medicos primus: [Febris, quæ *ſubitò*, ſine ratione, ſine bonis ſignis finita eſt, ferè *reuertitur*.] Imitatus videtur Hippocratem Celſus, quem libro ſecundo ferè toto auctorem ſequitur, & optimè præſagiſſe fatetur. Sic autẽ admirabilis Cous in Aphoriſmis: [His, quæ ſine certa ratione cauſaque deprehenſa leuant, fidere nõ oportet.] In Prænotionibus: [Quibus febres ceſſant neque apparentibus *ſolutionis ſignis*, neque diebus iudicatorijs, ijs *recidiua* expectãda eſt.] Lib. 2. cap. 7. Lib. 2. Aph. 27

III. GALENVS Philoſophus ac Medicus ſingularis, in Opere de Diebus decretorijs: [Quo *ſolutiones* morborum, qui nõ paulatim imminuti fuerunt, ſed *ſubitò* finierunt, *fida* ſint; excretio quædam copioſa, vel abſceſſus inſignis requiritur: nam qui *morbi* citra hæc *quieuerunt*, in ijs *recidiua* timenda eſt.] Lib. 1. cap. 1.

IV. AVICENNA Arabum Medicorum Princeps, de Cura *quartana* periodicæ: [Oportet ergo vt non laboretur in principio, & in principio digeſtionis, vſque ad euentum complementi digeſtionis: & fiat euacuatio ſuperfluitatum cum eo quod *non calefacit cum for-* Com. 4. fen. 1. cap. 64.

titudine, neque cum eo quod *exficcat cū fortitudine* ex Medicina.] Arculanus in expo ſitione: [Dicta ſunt hæc contra quoſdam imperitos, profitentes ſe curare omnes *quartanas*; quorum aliqui ante paroxiſmum dāt parum *aquauitæ*: aliqui dant tria grana *piperis*; & febrem augent, materiam dilatant, & permiſcētes *malum cum bono*, ſunt cauſa alterius *quartanæ*. Illi autem qui dant *exſiccantia*, ſicut *ſulphur*, reſoluunt ſubtile, & reliquum dimittunt ineptum digeſtioni, & euacuationi.

In Regimine quartanæ. V. ARNALDVS VILLANOVANVS ad quemdā quartanarium: [Nec ſeducatur veſtra peritia, Clemens Pater, doloſis promiſſionibus & fraudulentis operibus quorumdam vſurpantium ſermonem Medicorum, qui promittunt, & interdum videntur facere ceſſationem febris; & ſic cum humorali materia non euacuata à corpore, vel ſemiplenè euacuata, hoc quidem faciunt medicinis *narcoticis* frigidis mortificando, & *ſtipticis* ad vltimum conſtringentibus meatus, & ingroſſantibus humorē: & ſic humor immobilis redditur, & in loco determinato concluſus, & obſeſſus quieſcens: quod faciunt *experimentatores*, quorum quædam nullo modo cura-

tio

tio morbi potest esse. Nam cùm morbus curetur per abscisionem suæ causæ; sicut & omnis affectus cessat suâ causa cessante, manifestum est, quod remanē te causâ febris, non curabitur febris, licèt motus humoris aliquando retardetur. Non solùm autē fallunt hoc modo, sed viam *maioris periculi* aperiunt: nam cùm post tempus determinatum cessat virtus prædictarum *medicinarum fraudulentarum*; materia nondum euacuata multiplicatur eius quantitas, & augetur malitia qualitatum in illo tempore medio interuallo. Cùm ergo *necessariò* redit ad motum suum, & cum mouetur ad locum, vel particulam patientem, ad quā primò mouebatur, redditur *febris malignior* quàm fuerit. Cùm materia mouetur ad *cerebrum*, causat *mentis alienationem maniacam*, vel *melancholicam*: cùm verò ad *cor*, generat *cardiacam* trementem & mortiferam: si verò ad *hepar*, & ibi quiescit, causat *hydropisim*, & plerūque *ictericiam* nigram ex effusione eius per totum corpus; & interdum causatur particularis, vel vniuersalis. Ab incessoribus istis igitur periculosis cauendum est sicut ab inimico mortali, ne paroxismorum cessatio procuretur, donec humor peccans, qui est causa febris, eua-

cuatus fuerit per artem, vel per naturã, vel vtroque modo.]

De Curatione febriũ. VI. FELIX PLATERVS Archiater Basileensis, [Paroxismus, seu accessio febrilis, in febribus intermittentibus totius morbi decursus est, in quo omnia febris accidentia, quæ à frigore & calore proficiscuntur, se proferunt, eoque cessante cessant. Qui paroxismus, & per consequens febrium hæc accidentia si impediantur ne eueniant, *cura* quoq; sed *illegitima* est, qualis symptomatis attribuitur, cùm causa non auferatur, sed dumtaxat illius euaporatio, vel motus cor accendens impediatur. Hæc autem, quæ illud præstant, potissimum *rigorem* prohibent, qui principium est febriũ intermittentium; quo impedito, cùm hũc maximè *vulgus* respiciat, etsi calor aliquis leuis superueniat, nihilominus febrem cessasse, vel mitiorem factam esse existimat. Sed & fit, vt cùm *rigor*, per quem materiæ febrilis corpus peruadẽtis, rigoremq; excitantis, fit per corpus transitus, impeditur; cũ tunc illa nõ per rigorem mota subsistat; tam *rigor*, quàm *calor* minimè superueniant, & febrilis paroxismus sic illorum vsu, quibus rigorem impedimus, penitus cesset. Quod tamen nõ *purgata* prius & *concocta materia*

teria

teria si fiat, *tuto minime* aut *rectè* fieri potest; cùm *causa relicta*, etsi febris desinat, *grauiora* tamen inde sequantur *accidentia*; sicuti *empirici* his tantum intenti, vt mox ita febrem sanent, in *colicos cruciatus*, *icteros* & *hydropes* ægrotantem inducunt.

VII. DANIEL SENNERTVS celebri fama Medicus: [Dantur & alia medicamẽta, quæ & à Medicis & à vulgo nonnumquam vsurpantur, quæ paroxismos febriles tollunt, & propterea *febrilia* πυρετάγωγα, & specifica *febrifuga* appellantur; quæ tamen sudores non mouent, sed alio modo (procul dubio) illud μίασμα, & per consequens paroxismum tollunt. Quis autẽ ille modus sit, ab auctoribus non explicatur. Vt quod mihi videtur dicam; talia medicamenta *præcipitatione quadam* vim illã efferuescendi & paroxismum excitandi in humoribus tollere videntur: *tutò* tamẽ non exhibentur, nisi humores vitiosi, & qui causæ antecedentis rationem habere possunt, priùs tollantur: aliàs enim qui à natura in paroxismo stimulati expelli poterant, *in corpore relinquuntur*, & posteà *cachexiæ*, *hydropis*, *icteri*, *doloris colici*, & aliorum malorum causa esse possunt. Lib. 2. de Feb cap. 17.

Ego

Ego certè septemuirali scientiæ nostræ professorum iudicio sic assentior, vt omninò credam febrifuga empirica, seu calida, quæ materiam febrilem relinquunt intra corpus, non esse tuta; eòque modo Peruuianum puluerem (qui idipsum præstat) ægros augere damnis posse; si præsertim ijs incōsideratè præbeatur, quibus (tan.

Haud meliore luto finxit præcordia Ti-

Suo enim calore potentialiter igneo, per vini potentis spiritus, etiam igneos, excitato, & adaucto (vnà cum ipso febris igne) siccare, accendere, ac torrere imbecilla potest præcordia, natiuum calorem dissipare, vitæ pabulum depopulari, & humores noxios ad partes ab ortu infirmas propellere: [raròenim quisquam nō aliquam partem corporis imbecillam habet.] Celsus lib. 1. cap. 3.

Potest præterea ille puluis stipticitate, qua pollet, bilem flauam in suo folliculo, nigram in liene, pituitam salsam in ventriculo & intestinis cogere, condensare, & immobilem reddere: quibus postmodum putrescentibus, liquefactis, & in substantiam partium adiacentium imbecillam quaquauersū effusis ac impactis, diuturni & exitiales morbi á viris magnis memorati, etsi lentè ac serò, pullulare possunt.

Philip.

Philippus Vbertinius Dominico Cacino, hic apud nos quartana diuexato (ambo sunt Florentini nobiles) literis Romæ datis significauit: [Peruuiano quidem puluere expelli febrem; sed Romanos Medicos, experientia edoctos, illũ puluerem modò floccifacere; quippe qui affirmant, post menses aliquot, aut septimanas, vel reuerti febrem, vel maius aliud oriri malum, quod ægros in vitæ discrimen conijciat.] Quocircà vsũ pulueris amico dissuadet, & meritò: quartana enim, dum vi pulueris adigẽte expellitur, grauiora mala ex relicto inquinamento potest accersere; quæ alioqui dum pedetentim soluitur, præsidio esse solet, & à magnis morbis ægros liberare. Literis denique Madritto datis ita recens monemur: [Cortex febrifugus magnam hic non lucratus est famam, quia eius effectum faustus non secutus est euentus.] Idemque intelleximus ex Neapoli, Florentia, Vienna Austriæ, & Parisiorum Lutetia, vbi prudẽtes Medici, recidiuis & periculis alienis cauti, à dubio puluere manum iam remouent, maiorùmque documenta tutò consectantur. Quod aliqui fautores pulueris obijciunt, [ægros plerósq; qui absque illius ope à febre liberati sunt

25. Nouemb. 1652.

Hippocr. 6. Epid. Gal. in Comm

8. Ianu. 1653.

ſunt, recidiuam quoque, dolores colicos, aliàque paſſos ſymptomata;] non eſt aliud, quàm iactati pulueris fallaciã fateri palàm, quem qui glutiuere, eadem paſſi ſunt incommoda, ac qui eo non ſunt vſi.

Hæc ego pauca de puluere febriſugo per dieculas aliquot enucleaui, quæ, ni fallor, lectu iucunda erunt, vel indicia ſaltem animi mei naturæ iura ſedulò exquirentis; qui, vt Sereniſſimi Archiducis mandato obſecundaret, *puluerulenta & auia* lubẽs *peragrauit loca*. [Rerum naturæ contemplatio, inquit Plinius, quamuis non faciat Medicũ; aptiorem tamen Medicinæ reddit, atque perfectum.]

Lib. 1. in Proœm.

FINIS.